

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, in Italia est Libellarum 10;
ubique extra Italianam Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.
Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN ITALIA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. Apud BURNS AND OATES
ROMAE, Via Santa Chiara, 20-21.

IN BELGICA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
BRUXELLES, Rue de la Montagne, 52.

IN ANGLIA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
LONDON W. - 28, Orchard Street.

IN GALLIA

LUGDUNI
Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
Rue Victor Hugo, 5

**IN CIVITATIBUS FOEDERATIS
AMERICAE SEPTENT.**

Apud
COMMISSIONAT. OF THE HOLY LAND.

NEW YORK, 143 w 95th St.

**IN CANADA
ET NEWFOUNDLAND**

NEW YORK (U. S. Amerie.), 143 w 95th St.

IN HUNGARIA

Apud
C. B. LIPTAY, CORRESP. DE HONGRIE
BUDAPEST, Palais du Théâtre National.

RERUM INDEX

EPISCOPORUM AMERICAE LATINAEC CONCILII IN URBE CONGREGATUM	Eucalyptus.
DE ANNO SANCTO QUI DICITUR IUBILAEI	H. D. V. Pieralice.
DE PRIMA PUEGORUM INSTITUTIONE APUD ROMANOS	I. Iachino.
ANGELUS ET INFANS	F. X. Reuss.
DE SPECTACULORUM PERNICIE	I. Antonelli.
A TRAHEA AD CURRUS "AUTO-MOBILES",	Senior.
EUCHARISTICI TRIUMPHI	P. Pasquali.
EX BATAVIA	M. L. Microvir.
DE COLLEGIO PIO LATINO AMERICANO ROMAE INSTITUTO	Alpha.
LAZARUS SPALLANZANI	A. Costaggini.
NOVA AD SEPTEMTRIONEM PROFECTIO	X.
IN HERBAM NICOTIANAM	D. Macrae.
LIBERALIUM ARTIUM OPERA VENETIIS NUNC COLLECTA ATQUE PUBLICE EXHIBITA	A. L.
ANNALES	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS	Scriba.
LIBRORUM RECENSIO	I. Sullivan.
AENIGMATA	

In tercia operculi pagina:

PER ORBEM	Viator.
VARIA: Utilitas chronologiae - Ioci	P. d. V.

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCII

M DCCC XCIX

COMMENTARI "VOX URBIS,, INDICES SINGULI

VI num. ann. II.

De mediatione - MONTELUCCIO.
Muliebris birota velocissima (*La bicicletta per le signorine*) - MAURUS RICCI.
Philosophia Horatiana - I. LEMETTE.
De pueris in crastinum instituendis. Meditationes postumae - I. ANTONELLI.
Latinae adnotatiunculae - F. R.
De fragmentis formae urbis Romae nuperime in lucem proditis - H. MARUCCHI.
De veterum abstinentia - P. ANGELINI.
B. Virgo ab Angelo salutata - I. C.
Sapientum inventa - L. M.
Via Appia - I. CASCIO.
Napoleon ex opinione vulgi - HERCILUS.
Aviculis parce - E. DE VAISIERE.
Vita functi viri clariores - C.
Annales - EUCLYPTUS.
Ad Leonem XIII P. M. die VIII. martii a. MDCCCIC. - C. NOCELLA.
Coetus legibus ferendis qui ubique gentium congregantur - SCRIBA.
Frustula - FORFEX.
Bibliographia.
Epistolarum commercium - A SECRETIS.
Aenigmata - M. FUSCUS.

In secunda operculi pagina:

Per orbem (Quindenorum dierum praecipua) - VIATOR.
Varia: *An et hoc in praevisis, et praeannuntiatis? - Longaevitatis, et longaevitatis vaticinium* - P. d. V. — *Ioci* - D. MACRAE.

VII num. ann. II.

De Sinensium imperio - EUCLYPTUS.
Quid inter artem tragicam antiquam et recentiorem intersit - D. TAMILIA.
Carmen epicum saeculi XV nunc primum in lucem editum - F. RAMORINO.
De pueris in crastinum instituendis. Meditationes postumae - I. ANTONELLI.
Surrexit! - F. X. REUSS.
De varia mortis imagine saeculorum cursu - T. COLAMARINO.
Humanum caput a Bonarrotio effectum - I. CASCIO.
In Hieronymum Savonarola - A. ARTIOLI.
Geographiae nuperime adepta - L. M.
Christianorum Pascha et Hierosolymae recordatio - HERCILUS.
Anguim collectores - LAELIUS.
Tentata olim aerea navigatio - H. D. V. PIERALICE.
Ex Gallia. Harmoniae singulares ac disposita vita per numeros - A. VIEILLOT.
Frustula - FORFEX.

Quaestiones inter socios proponendae - Vox Urbis.

Annales - E.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Aenigmata - A. MORCHIO.

In secunda operculi pagina:

Per orbem (Quindenorum dierum iter) - VIATOR.
Varia: *O parentum charitas! - Systema metricum apud Anglos in vectum - De musica et poesi, utra praestet. Epigramma* - P. d. V. — *Ioci ex historiis* - C.

VIII num. ann. II.

Angli in coloniis deducendis principes - H. A. STRONG.
Humani ascensus - E. DI BISOGNO.
De pueris in crastinum ministruendis. Meditationes postumae - I. ANTONELLI.
Sophocles et Shaksperius tragicae artis anti-stites - D. TAMILIA.

Torquatus Tassus - H. PIERALICE.
In querum Torquati Tassi turbine deiectam - N. FILONARDI.
Nocturna lumen ad mare - HERCILUS.
De fragmentis formae antiquae Urbis nuper in lucem prolati - H. MARUCCHI.
Ex Germania. Pompeii Russici - L. KANT.
De columbi viaticribus - LAELIUS.
Vita functi viri clariores - C.
Insignia equestria - SENIOR.
Frustula - FORFEX.
Annales - POPLICOLA.

Quaestiones inter socios propositae. - I. Quanam lingua scriptum: *Mane, Tekel, Phares?* - L. W. SZCZERBOWICZ.
Ephemeridum scriptorum conuentus Romae congregatus - SCRIBA.
Aenigmata - GRYPHUS.

In secunda operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Pericula in cognomine* - P. d. V. — *Ioci* - D. MACRAE.

IX num. ann. II.

Kalendas Maiae - A. MARTINI.
Val-des-Bois - H. D. V. PIERALICE.
De canoris nubis - P. ANGELINI.
Maius in agro, in templo - FRANC. X. REUSS.
Sartor iudeus poeta - D. TAMILIA.
Marianus Armellini eiusque scripta inedita - Vox Urbis.
De ritibus exequiarum in antiqua Ecclesia e MARIANUS ARCELLINI.
Caecilius Rhodes - I. ANTONELLI.

Ferreis axibus stratae viae per Africam - SCRIBA.

De Pontificiis *Cappellis* - SENIOR.

Floralia - A. COSTAGGINI.

Expressi in humano sermone mores animantium - X.

Sapientum inventa - L. M.

Ex Gallia. Victoriae, Anglorum reginae, vitae consuetudo Niceae ad Varum - A. VIEILLOT.

Divae Fortunae codex - LAELIUS.

Annales - POPLICOLA.

Librorum recensio.

Aenigmata - DIGAMMA.

In secunda operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.

Varia: *Semper in mordacem Horatius - Canes bene de humano genere meriti - Novae aurifodinae - Ioci* - P. d. V.

X num. ann. II.

Ingruit hora - JOSEPH TONILO.
De coloniis Germanorum - P. ALT.
De theatris aedundis - I. ANTONELLI.
De versibus latinis ad italicum numerum - P. ANGELINI.

Solatia in adversis, moderamen in prosperis - J. SERIK VITINSKY.

Ludi et festa mensis Maii - D. TAMILIA.

De morbo cui vulgo ab *influenta* nomen - DR. L. KAUL.

Haga urbs - ALPHA.

Alafridus Krupp - A. COSTAGGINI.

Ave Maria - N. FILONARDI.

Acta Sanctae Sedis. - Indictio Universalis Iubilaei Anni Sancti MDCCCC - THOMAS.

Vita functi viri clariores - C.

Telegraphica signa nullo adhibito metallico conductore transmissa - L. M.

Turriti galeri fasta et nefasta - A. VIEILLOT.

Frustula - FORFEX.

Annales - POPLICOLA.

Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.

Librorum recensio - H. P.

Quaestiones inter socios propositae. - II. De novis verbis - H. EWARTH.


Aenigmata - DIGAMMA.

In secunda operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.

Varia: *Electridis ad conciliandum somnum usus - Europae quid solis et lucis, quid umbrae et pluviae? Novum chartae elementum - Barba patriarchalis quanta* - P. d. V.

Epistolarum commercium - A SECRETIS.



BARI IN ITALIA Praemiis decorata Societas ad Olea Olivaram

(vulgo: Riumione dei produttori di olio d'oliva)

nullis pro itinere impendiis in quamlibet orbis terrarum regionem suavissima olea dimittit, quae et purissima, et genuina et propria sibi profitetur, itemque deliciosissimas olivas muria servatas, ex medulla et adipe lycopersici succos concretos, vina quotidiana caenis, caricas, et cetera huiusmodi. Praeterea sapones ad munditiem telarum, lanarum, gossypiorum, etc.

Premium prout fert dies nuntiatur, ubi accepta sit chartula in qua nomen, cognomen, et mansio petentis reperiantur.

 Singulare aliquid est, siqua mittenda sint Piis institutionibus, Hospitiis, Collegiis, Sodalitiis, Fabriceritis et Cooperativis societatibus catholicis.

SUNT OLEA AD LAMPADES PRO TEMPLIS ET DOMIBUS.

In Ital.
Lib. 15.

EPISCOPORUM

IN U

Qui modo
tum vir
intentos animo
licetur praesidiu
parando navibu
ex altero mag
populi proventu
qua ad bonos n
civilis societas p
Fausta quide
sessui ad precam
peratoris incepto
cilio nonnihil in

Ex America
tes convenerunt,
sustineant. Non
apostolici, neque
colonii resident
Cubani, quos
septemtrionalis
Concilium hoc
menicum est m
millia catholico
duodeviginti, Hi
negotia hic pertr
tum est, unum E
mum praeteriti s
provenerant, ditie
liberi regiminis s
tione, respublicas
religionem quam
retinentes. Tanta
insecutae vicissi
substantiam imm
illuc aut consuet
castigatus, nec ou
Haec omnia scili
ut tutius eadem
omnibus quae ad
Quod quantum co
stringenda inter t
sive ad religioni
beneficia procuran

Nobis vero sa
paret tot illustriu
Quorum alios pro
firma, omnes viar
a tanta aggredien

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PREIUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italianam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

EPISCOPORUM AMERICAE LATINAEC CONCILII
IN URBE CONGREGATI

Qui modo in Batavia ac Romae praestantium virorum habentur consessus merito intentos animos attrahunt. Alter enim suum pollicetur praesidium ne Europae nationes bello appetando navibusque ornandis exinanitae pereant; ex altero magnas sibi utilitates latinae Americae populi proventuras sperant qua ad religionem, qua ad bonos mores: his enim florentibus, etiam civilis societas pace bonisque artibus florere solet.

Fausta quidem et felicia omnia Batavensi consessui adpreciamur et quae nobilissimo Nicolai imperatoris incepto respondeant; de Romano concilio nonnihil innuere libet.

* *

Ex America latina omnes dioecesum antistites convenerunt, sive ipsi, sive qui eorum vicem sustineant. Non tamen convocati sunt vicarii apostolici, neque auxiliares episcopi, aut qui in coloniis resident, neque Portoricenses, neque Cubani, quos postremos foederata Americae septentrionalis respublica sibi modo adiunxit. Concilium hoc plenarium dicitur, et post oecumenicum est maximum. Quinquagies centena millia catholicorum hominum, respublicaeque duodevinti, Hispani et Lusitani sua religiosa negotia hic pertractari vident. Hi omnes, ut notum est, unum Dei cultum profitentes, ad extremum praeteriti saeculi sub regnorum, e quibus provenerant, ditione steterunt. Proprii deinde ac liberi regiminis studio, vetere repulsa dominatione, respublicas, nec uno tempore, condidere, religionem quam a patribus habuerant constanter retinentes. Tanta rerum commutatio quaque insecurae vicissitudines nihil sane quoad fidei substantiam immutarunt, at potuit fortasse hue illuc aut consuetudo, aut ritus obrepere minus castigatus, nec omnino ex fideli Ecclesiae norma. Haec omnia scilicet Concilii patres scrutabuntur, ut tutius eadem per universam Americam in omnibus quae ad religionem spectant ratio vigeat. Quod quantum conducere possit sive ad arctiora stringenda inter tot populos concordiae vincula, sive ad religionis et civilis societatis potiora beneficia procuranda nemo est qui non videat.

* *

Nobis vero sane mirabile spectaculum apparet tot illustrium virorum Romam concursus. Quorum alios proiecta aetas, alios valetudo non firma, omnes viarum longinquitas atque asperitas a tanta aggredienda peregrinatione deterrere de-

buit. Neque honorum spes aut emolumentum ullum hos ad tantum laborem suscipiendum stimulavit; obstabat imo nonnullis rei familiaris exiguitas, aliis temporum adversae vices. Nemo tamen ulla excusatione usus; properavit quisque libenter quo Christi caritas urgebat. Miratur modo aeterna urbs congregatos Americae episcopos atque in medio eorum stantem Deum.

* *

Concilium sublime, in quo non cupiditas, non ambitio, non obrectatio vel superbia animos agit; sed veritatis amor, divinae gloriae desiderium, hominum salus atque utilitas excitat et dirigit. Quod magis augustum, quod sanctius Concilium excogitari aut inveniri potest? De hoc quidem affirmem: « misericordia et veritas obviaverunt sibi, iustitia et pax osculatae sunt »; hic ubi virtus atque immota fides de hominum vera utilitate consulunt, nec circa divinum afflatum decernitur.

* *

Haec si homines sibi interdum ad animum referrent, quanto magis Ecclesiam Catholicam vererentur! quanto magis eius praesulibus confiderent! Hi omnes venerandi pastores, sanctissimi Senis invitationi obsecundantes, gregis sui utilitati prospiciunt, nec Roma discedent, nisi inter se concordi sententia convenerint quid ad eius salutem magis conferat, quodvis parati adire discrimen, dummodo sapientiae suaequae caritatis fructu humana societas potiatur. Utinam ceteri hominum consessus talibus viris, tantaque virtute praeditis pollerent!

Stetit tamen et floruit Ecclesia tot saecula tali consilio et patientia; quanto etiam humani cultus incremento historia docet, et ea quae modo potentissima imperia appellantur ab ipsa leges, artes, doctrinam, humanitatem accepérunt.

* *

Veneranda Mater, quae in hac alma urbe sedem posuit, bis orbis terrarum dominatrice! Cuius vicem considerantibus non sine divino consilio factum esse videtur, ut eadem quae armis terrarum orbem subget latius et sanctius virtute ac doctrina pristinam potestatem retineat. Ereptis armis eam christiana fides servavit vetuisse quominus Romae nomen inter funera Babylonis et Ninivis adscriberetur, sed eam sedem imperiturae veritatis iussit, de qua verissime affirmari posset:

... Quidquid non possidet armis
Religione tenet.

EUCALYPTUS.

DE ANNO SANCTO
QUI DICITUR IUBILAEI

APUD omnes gentes tempus quoddam et loca Divis gratiora constituta iam ab inde fuerunt; hinc templi, hinc festi dies. Hoc autem cum fuerit apud omnes gentes commune, dubitant sapientes incerti utrum habendum sit quasi e natura humana sensus erumpens, vel divini cuiusdam praecepsi primis parentibus impositi quasi constans et probata traditio.

Utramque tenemus iure sententiam, quarum altera alteram confirmat, atque tuetur.

Scimus enim saecularia fuisse carmina, in quibus ista leguntur:

... o colendi
Semper, et culti, date, quae precamur
Tempore sacro;
Quos sibyllini monere versus
Virgines lectas, puerosque castos
Dis, quibus septem placuere colles,
Dicere carmen.
(HOR. Carmen saec.).

Sed luculentissime haec omnia simul apparent in XXV Levitici. Quum enim Deus septimum cunctis hebdomadae diem cultui suo et requie genitum vindicaverit (quippe « Sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter Sabbathum » — Marc. II, 27), itemque septimum quemque annum, quo nefas esset colere terram et ad labores animalia cogere; pollicebatur namque se affore his verbis: « Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, et faciet fructus trium annorum » (Lev. 25, 21); haec Moysi praecepit (ibid. 8 et seq.): « Numerabis... septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quae simul faciunt annos quadraginta novem: et clanges buccina mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore in universa terra vestra. Sanctificabisque annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terrae tuae: ipse est enim iubilaeus. Revertetur homo ad possessionem suam, et unusquisque rediet ad familiam pristinam: quia iubilaeus est, et quinquagesimus annus. Non seretis neque metetis sponte in agro nascentia, et primitias vindemiae non colligetis, ob sanctificationem iubilaei; sed statim oblata comedetis. Anno iubilaei redient omnes ad possessiones suas ».

Quoad nominis originem, credimus hoc inditum a buccina, qua clangebatur, quaeque iobel, נְבָל, hoc est cornu arietis, propter similitudinem, curvamque formam vocabatur, nisi magis placeat illud eratum a iob et el, quasi gemitus potens, vel potentis; quae origo pariter quadrat et populo potenter genti in poenitentia sanctificationis, et potentibus populi, nempe divitibus, qui generent ob restitutionem fundorum, domorum, agrorum pristinis dominis vel singulis familiis, quae inopia cogente vendiderant. Hinc et nonnulli etiam voluere deductum nomen a iubilo, hoc est a laetitia pauperum sua recuperan-

tium; nonnulli vero a verbo *hobil*, quod indicat *portare et adducere*, quia et ad unumquemque sua, et unusquisque ad sua reducebantur.

Quicquid sit etymologicae quaestionis, ad unum tamen vergit quodvis sumatur etymon, idque satis superque. Nil mirum ergo si Christi Ecclesia, quodam hereditario iure omnia occupans Ecclesiae Moysae, solemnitatem hanc sibi propriam assumpserit. Qua de re praetervecta idololatricae, arianae, mahometanae persequutionis sanguinolenta saecula, atque ea saecula, quae propitiationis demum fuere, quam armata manu sanguinem effusura suam catholica gens Christi seculorum liberatura requisivit, animum advertit ad hunc redemptionis et reductionis annum, quo gratis venumdati Satanae sine argento redimerentur.

Est autem et aliud. Gentes christiani orbis ad centrum christiana religionis vocabantur, novum quasi hospitio vinculum societatis et amicitiae initurae.

Itaque quod haereses, quod barbari fregerant hospitium, fracta Urbe, penitusque deleta, iterum instaurabatur, et vetus ad Urbem via populis iterum sternebatur, qua non vincti venirent, et soluti redirent, sed qua, unde leges olim et humanitatem accepant, mores et religionem et charitatem referrent.

Pollitus igitur supremam indulgentiam auctoritate clavigeri Petri, Bonifacius VIII, anno Dom. 1295, ad Apostolorum limina Christifideles omnes accivit, statuens ut saeculari quovis anno solemnitas restiteretur, primumque *iubilaeum* huiusmodi annus millesimus ac trecentesimus vidit.

Atque hisce annuis Dantes Alligherius interfuit, qui frequentiam populorum tantam fuisse narrat, ut necesse fuerit ligneis muris pontem Aelium in longum dividere, ne adeuntum et redeuntum a Vaticana basilica stipatae turbae occurrentes, et incurentes, et prementes, in mortem potius, quam in peregrinationem ferrentur. Hinc euntibus dextera, regredientibus pars laeva absque periculo tota patet.

Xystus papa IV sui pontificatus anno secundo, nempe anno Domini 1473, primus *iubilaei* nomen ad significandam remissionem peccatorum plenissimam dicitur invexisse, apostolicis literis in orbem diffusum.

Huic sententiae tamen acquiescere nequeo, immo nolim et alios in ipsa conquiescere, cum a Bonifacii temporibus non Pontifici tantum, sed vel Ecclesiae, sed vel theologis nomen *iubilai* illuxerit, et praeoccupatum fuerit. Testis esto theologus Alligherius, qui vulgari usus eloquio rem, eruditis vulgoque notam, narrabat:

*Come i Roman, per lo esercito molto,
L'anno del giubileo, su per lo ponte
Hanno a passar le genti modo tolto;
Che dall'un lato tutti hanno la fronte
Verso 'l Castello e vanno a Santo Pietro,
Dall'altra sponda vanno verso il monte...*

(Div. Com. Inferno, c. XVIII,
v. 28 e seg.).

Sed Clemens VI anno 1349 *iubilaeum* christianum non in saecularem, sed in quinquagesimum revocarat annum, ut quisque posset adesse, quum rara sit homini saecularis aetas, et, si proxima saeculo, confecta iam senio, nec itineribus diuturnis idonea. Atque hic mihi liceat enuntiare quod gravius est; nam in ipsa indulgentiae huius *Bulla Extravag. « Unigenitus »* (2 de Poenit. inter Communes) habetur ad rem vocabulum *iubilaeum*, vocis origine et solemnitate ab ipso Moysis libro, de quo nos, deducta; quaeque habetur apud Rinaldi, anno 1349.

Gregorius XI in trigesimum quemque ac tertium annum constituit; Paulus II in vigesimum quintum quemque annum cyclum iubilare contraxit.

Qui nunc indictus *annus sanctus*, seu *iubilaeus*, vigesimus primus numero est. Horum autem seriem, prout sequitur, habemus:

1 ^m	Iubilaeum Bonifacio VIII Pontifice, anno 1300.
2 ^m	Clemente VI Pont., anno 1350.
3 ^m	Bonifacio IX Pont., anno 1390.
4 ^m	Bonifacio eodem IX Pont., anno 1400.
5 ^m	Martino V Pont., anno 1423.
6 ^m	Nicolao V Pont., anno 1450.
7 ^m	Xysto IV Pont., anno 1475.
8 ^m	Alexandro VI Pont., anno 1500.
9 ^m	Clemente VII Pont., anno 1525.
10 ^m	Iulio III Pont., anno 1550.
11 ^m	Gregorio XIII Pont., anno 1575.
12 ^m	Clemente VIII Pont., anno 1600.
13 ^m	Urbano VIII Pont., anno 1623.
14 ^m	Innocentio X Pont., anno 1650.
15 ^m	Clemente X Pont., anno 1675.
16 ^m	Innocentio XII et Clemente XII PP., anno 1700.
17 ^m	Benedicto XIII Pont., anno 1725.
18 ^m	Benedicto XIV Pont., anno 1750.
19 ^m	Clemente XIV Pont., anno 1775.
20 ^m	Leone XII Pont., anno 1825.
21 ^m	Leone XIII Pont., anno 1899.

Aliquid historicae integritati detrahant si, quae Bonifacius PP. VIII indicens hanc salutaris et saecularis anni indulgentiam professus est, praeteream.

Hic enim non novum aliquid indicere se declaravit, probavitque testimonio seniorum hominum, quos inter quidam septimum supra centesimum annum agens, qui affirmabant unanimes quolibet perreuntem saeculo morem fuisse Christianis Romanam urbem et limina Apostolorum adire, ut veniam indulgentiamque peccatorum plenissimam adipiscerentur. Haec autem perspicere licet in exordio bullae Bonifaciana, quam in consistorio diei 22 mens. febr. anno Domini mccc edixit (*Extravag. antiquor. De poenit. et remiss.*).

Haec autem non modo a Navarro (*De iubilaeo*, n. 1), a Benzonio (lib. 3, c. 4), a Vittorellio, a Turcremata, a Zaccaria (*De anno sancto*, lib. 1, p. 1) firmantur, sed non desunt, quos inter Petavius Dionysius (*In Rationario temporum*), qui opinentur hasce iubilares solemnitates iam ab Apostolis constitutas, bisque primo in Ecclesiae saeculo celebratas.

Quibus placeat, doctissimum cardinalem Iac. Caietanum (*De centesimo seu iubilaeo anno; Biblioth. Patrum*, t. XXV); Febeium (*De anno iubilaei*); Petra cardinalem (*In constitutione VII Bonifacii papae VIII*, pag. 305); Riganti (*In regula cancellariae*, 54, n. 34, t. IV); Manni (*Storia dell'anno santo*), ut querant offerimus; facile quippe haurient quae summatis nobis delibare vix licuit; ideoque studiosos rei ad illa volumina delegamus.

Commodiora itinera frequentiore gentibus pollicentur iubilare annum, quem profecto speramus, praeteritorum ad instar, et regiis, et nobilibus, et sanctissimis et doctissimis viris adventantibus insignem, immo longius et latius et potius memorandum.

H. DE VECCHI PIERALICE.

In omni vita a recta conscientia transversum unguem non oportet discedere.

(Cic., *Ad Att.* 7, 3, 11).

Suscipienda bella sunt ob eam causam, ut sine iniuria in pace vivatur.

(Cic., *De Offic.* 1, 11).

DE PRIMA PUERORUM INSTITUTIONE APUD ROMANOS

MAXIMAM, tot tantisque ferro virtuteque provinciis subactis, Romanam rempublicam sibi comparasse gloriam neminem latet; sic enim communes vivendi rationes prioribus illis temporibus susceptae, veteresque mores ac instituta ferebant. Mirum autem mehercule videtur inquirentibus esse, quod gloriam fortasse maiorem adepta esset in litteris excolendis, cum per quingentos fere annos nemo Romae extiterit, qui latinas graecasque litteras publice docuisset (1).

Quum igitur Romani ad augendum patriae honorem et imperium proferendum solum intendissent, proinde inter arma vitam degissent, rudes agrestesque diu esse debuerunt: ceterum obedientiam discebant domi, et robore in campo Martio diuturnis exercitationibus confirmato, licet profligati interdum, victi nunquam fuere; insuper e morum simplicitate, constantiae fortitudine ac magnanimitate tum secundis cum in adversis rebus insignes extiterunt.

Constat enim disciplinas, quae ad effeminandos animos aptae viderentur, semper adversatos esse, atque puerorum institutionem nec legibus constitutam, nec communem omnibus diutius voluisse. Sic Cicero: « Principio disciplinam puerilem ingenuis, de qua Graeci multum frustra laborarunt et in qua una Polybius noster hosps nostrorum institutorum negligenter accusat, nullam certam aut destitutam legibus, aut publice expositam, aut unam omnium esse voluerunt » (2).

Qua in re pretium est animadvertere Polybium, qui nihilominus apprime Romanorum consuetudines, institutionesque commentatus est, errasse quum eos in eo accusavisset quod et eorum ingenio et ipsis legibus, quippe firmissimis reipublicae fundamentis omnino contrarium esset. Addam vero, defensionis causa, Polybium eruditis tantummodo viris familiariter usum esse, et, quod maxime praestat, natione graecum fuisse.

Ad hoc in medium proferendum est illud Cornelii Nepotis in *Epaminonda*: «... haec praecipienda videntur lectoribus, ne alienos mores ad suos referant, neve ea, quae ipsis leviora sunt, pari modo apud ceteros fuisse arbitrentur. Scimus enim musicen nostris moribus abesse a principis persona, saltare etiam in vitiis ponit; quae omnia apud Graecos et gratia et laude digna ducuntur ».

Porro illis Romanae reipublicae incunabulis longe aliter res sese habebat. Pueri enim domi et a matre edocti erant, maternaque sapientia et in liberis etiam adultos auctoritas, pluribus apud historicos exemplis confirmatur. In primis Livius tanta severitate ac dignitate Veturiam ad filium Coriolanum loquentem inducit, ut eum ab obsidione impia deteruerit, et Cicero: « Evidem cum audio socrum meam Laeliam (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quod multorum sermonis expertes, ea tenent semper quae prima didicerunt), sed eam sic audio, ut Plautum mihi aut Naevium videar audire: sono ipso vocis ita recto et simplici est, ut nihil ostentationis, aut imitationis afferre videatur: ex quo sic locutum esse eius patrem iudico, sic maiores; non aspere ut ille, quem dixi, non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse et aequabiliter et leniter » (3).

Itemque Gracchos non tam in gremio quam in sermone matris institutos esse dixit; proinde suprema (1) Cfr. SUETONIUS, *De grammaticis*, cap. I.
(2) *De republica*, lib. IV, cap. 3.
(3) *De oratore*, lib. III, cap. 12.

Corneliae laus ha mater.

Agricolae ma fert Tacitus: « M tatis; in huius sin honestarum artiu que transegit... rare, se in prima i ultra quam conce ni prudentia matr coercisset » (1).

Hanc primam mun inde seque sala, qui quidem li trariis moribus ac verba sane omnib videntur: « Iam p parente natus, non mio ac sinu matri erat tueri domum tem maior aliqua ctatisque moribus committeretur; con turpe dictu, neque deretur. Ac non s siones etiam lusus ac verecundia tem rum, sic Aurelium trem praefuisse ed liberos accepimus, pertinebat, ut since detorta uniuscuius riperet artes honestas ad iuris scientiam, nasset, id solum a Praeter autem norum mores et maiorum virtutes charitatem ediscerent. Hoc testaturum ut a maiori etiam oculis discer per vices quasdam Inde adolescentul buebantur, ut imperi quuntur, assuescer bant curiae foribus consortes erant. Su aut cui parens non stissimus pro pare

Attamen optim simo cuique viro, rex aut rector app Is, paterno munere et castigabat, quin i comitabatur. Proinde paterna supra lex erat, dend ius, quod su quominus publica e divisio consuetudine nullo senatusconsul nem decrevisse, ne

propter, quorum officiis cere ac publicas vi

Sed cum Roma protulissent, totque

(1) TACITUS, *Agri*
(2) MESSALA, *De c*
(3) Lib. VIII, epist

INSTITUTIONE

s
virtuteque provin-
publicam sibi com-
c et enim communes
poribus susceptae,
ant. Mirum autem
esse, quod gloriam
litteris excolendis,
no Romae extitent
blice docuisset (1).

Corneliae laus hoc unum erat dicere: Gracchorum
mater.

Agricolae matrem iustissimam etiam laudibus ef-
fert Tacitus: « Mater Iulia Procilla fuit, rarae casti-
tatis; in huius sinu indulgentiae educatus per omnem
honestarum artium cultum pueritiam adolescentiam
que transegit... Memoria teneo solitum ipsum nar-
rare, se in prima iuventa studium philosophiae acrius
ultra quam concessum Romano ac senatori hausisse,
ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum
coercuisse » (1).

Hanc primam institutionem, quidque nobilissi-
mum inde sequeretur, graphicè nobis depingit Mes-
sala, qui quidem litterarum perniciem præcipue con-
trariis moribus ac consuetudinibus tribuebat, cuius
verba sane omnibus iure meritoque perlegenda esse
videntur: « Iam primum suus cuique filius, ex casta
parente natus, non in cella empta nutricis, sed gre-
mio ac sinu matris educabatur, cuius præcipua laus
erat tueri domum et inservire liberis. Eligebatur au-
tem maior aliqua natu propinquia, cuius probatis spe-
ctatisque moribus omnis eiusdem familiae soboles
committeretur; coram qua neque dicere fas erat quod
turpe dictu, neque facere quod dishonestum factu vi-
deretur. Ac non studia modo curasque, sed remis-
siones etiam lususque puerorum sanctitate quadam
ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Graccho-
rum, sic Aureliam Caesaris, sic Atiam Augusti ma-
trem præfuisse educationibus ac produxisse principes
liberos accepimus. Quae disciplina ac severitas eo
pertinebat, ut sincera et integra et nullis pravitatibus
detorta uniuscuiusque natura toto statim pectore ar-
riperet artes honestas, et sive ad rem militarem, sive
ad iuris scientiam, sive ad eloquentiae studium incli-
nasset, id solum ageret, id universum hauriret » (2).

Praeter autem maternam institutionem in Roma-
norum mores et hoc inventum erat, ut ex patre
maiorum virtutes ac gesta commemorante patriae
charitatem ediscerent pueri, eaque animum incende-
rent. Hoc testatur Plinius: « Erat antiquitus institu-
tum ut a maioribus natu, non auribus modo, verum
etiam oculis disceremus quae facienda, mox ipsi ac
per vices quasdam tradenda minoribus haberemus. Inde adolescentuli statim castrenibus stipendiis im-
buebantur, ut imperare parendo, duces agere dum se-
quuntur, assuescerent; inde honores petituri assiste-
bant curiae foribus, et consilii spectatores antequam
consortes erant. Suus cuique parens pro magistro,
aut cui parens non erat, maximus quisque et vetu-
stissimus pro parente » (3).

Attamen optimatum in familiis liberi probatis-
simu cuique viro, qui tum custos aut comes, tum
rex aut rector appellabatur, instituendi tradebantur.
Is, paterno munere fungens, omnino eos et edocebat
et castigabat, quin imo ad vicesimum annum assidue
comitabatur.

Proinde paterna voluntas, interdum etiam lubido
suprema lex erat, vetusque pueros edocendo tra-
dendi ius, quod subripi numquam potuit. Ceterum
quominus publica esset institutio et civium ordinum
divisio consuetudinesque prohibebant. Constat enim
nullo senatusconsulto rem publicam eam institu-
tionem decrevisse, nec unquam publicis magistris vel
praceptoribus stipendum dedisse, censoribus exceptis,
quorum officium erat in publicos mores inspi-
cere ac publicas vivendi rationes moderari.

Sed cum Romani imperium ad ultimas regiones
protulissent, totque satis literatos elegantesque po-

(1) TACITUS, *Agricolae vita*, cap. 4.

(2) MESSALA, *De oratoribus*, cap. 28.

(3) Lib. VIII, epist. 14.

pulos in suam potestatem redigessent, diurno usu
se rudes agrestesque senserunt; dehinc licet per
summas animi virtutes fere toto orbe potiti essent,
suae ruditatis miserti, ab ipsis quos armis vicerant
populos, se vinci humanitate maluerunt, artesque,
quibus partum imperium servarent, sunt persequuti.

Sed, ut plerumque fit, novarum rerum studio,
plerisque sedulo ad graecos grammaticos adeuntibus,
magna, ut ita dicam, laudatoribus temporis acti for-
midio incessit, ne detrimentum reipublicae nova res
illatura esset; idcirco prohibere aut saltem demorari
totis viribus conati sunt. Quod maxime Romanis utili-
tati fuit; nam lentam illam humanitatem sequentes
et singulas passim artes edocti, ad maximam litte-
rarum gloriam proiecti sunt.

I. IACHINO.

ANGELUS ET INFANS (1)

*Cunis pusillis Angelus
Adstat coruscus, et suam,
Velut sub unda vitrea,
Miratur hic imaginem.*

— « O frater (inquit) parvule,
Non te meretur hospitem
Haec ima tellus; evola
Ad celsa mecum sidera.

« Spinis inhorrent asperis
Terrena quaevis commoda;
Patent honores taedio,
Spiritu tripudia.

« Non una praeter dies,
Quae sit procellis invia;
Aurora saepe clarior
Foedatur airo vespre.

« Quid? tunc frontem lacteam
Curi arandan porrigas?
Et exedenda fletibus
Serena tradas lumina?

« Absit! volabis aliger
Ad astra mecum spiritus,
Carnis molesto pondere
Solutus a cunabulis.

« Ac vos, parentes, luctui
Pullaeque vesti parcite;
Donate, laeti, creditum,
Laetam per horum, filium.

« Nilescait, instar hortuli,
Carum sepulcrum floribus:
Cui vita fluxit innocens,
Huic morte nil beatius ». —

*Haec fatus, alas Angelus,
Praeda decoras, explicat...
Orbata mater! suspice
(Nec flebis ultra) caelitem.*

FRANC. X. REUSS.

(1) Versio celebratissimi carminis gallici, cuius auctor J. REBOUL.

DE SPECTACULORUM PERNICIE

HAUD equidem mirer, si qui, nostra legentes,
animi offenditionem conceperint, quod hodierni
theatrorum ritus veluti patrocinium nobis adrogare
visi simus. Immerito tamen; nam id tantum in tuto
ponere consilium fuit, huiusmodi spectacula a nostris
moribus delere herculeum esse facinus nemini ag-
grediendum; quae enim necessaria quodammodo, uti
vidimus, hominum vitae fiunt, frustra expellere quo-
vis iure coneris.

Eccur vero unanimis semper ac tuta tot maiorum
sententia de facilis morum detimento in adeundis

spectaculis fuit? Vel qui fit, ut Catoni illi maiori
Plautinas fabulas acriter adversanti, Tertulliani obiur-
gationes, episcopi Melatensis eloquentia, Rousseau
sententia tam mira concordia accedant?

Fatendum quidem est, etsi non pauci vel di-
turno usu, vel unico artis studio intenti prolatis
in scenam illecebris nullimode perturbentur, longe
tamen plures malae voluptatis stimulis succensos
ex caveis discenderet.

Sed quibus de causis haec fiant non inutile erit
considerare, quo tutiora remedia afferantur.

Est vero, nec asserere dubito, in iis prima ipsa
ingenuarum artium indoles ac natura in morum cor-
ruptionem facilis ac prona. Novi enim præcipuum
eius esse finem pulcherrima quaeque sibi proponere,
eademque exprimere atque referre, quae profecto
aeternae veritatis quasi splendores per mundum ful-
gent. At quem latet, qua maxime specie infirma
hominis natura percellatur? Quo spectaculo assiduo
et vario facillime eos in corruptionem delabi mise-
randum est, ita ut inter celeberrimos pulchritudinis
artifices, qui ab huiusmodi insidiis incolumes evase-
rint, paucissimos quavis aetate adnumerare liceat.

His, cum de theatris sermo est, nova accedunt
eaque graviora; quae enim dramatica poesi oculis
subiiciuntur, nec bella ferme sunt, uti in epica, nec
animorum motus omnes dissitique impetus, uti in
lyricis, nec documenta vitae utilima, uti in didascali-
cisis, sed ipsius hominum vitae casus ac eventus, in
quibus nemini ignotum est quantam sibi partem vin-
dicet amor. Et sane Homerus ipse primus, si Tro-
ianum bellum non epico carmine sed dramatico
enarrasset, Paridis Helenesque amores nescio quo
pacto a scena arcuisset.

Memini ad rem ipsius Manzonii rigidissimi viri
exemplum, qui post celeberrimam fabulam cui titulus: *I Promessi Sposi* exarata, quosvis voluptuosae
fictionis dialogos, eventus, picturas ab ea sensit ar-
cenda. Cui præcepto ut morem gereret, huiusmodi
omnia quae in primo opere redigendo copiosa fo-
cunditate inseruerat, cum vulgandum fuit ita rese-
cuit, ut, nonnisi quae necessaria ad actionis intelli-
gentiam viderentur, brevi ac nudo sermone reliquerit.

Eiquid tamen? totius fabulae abdita ratio et quasi
deus ex machina amor ille permanxit, cui Rodrigus
tyrannulus spurcissimus foedo consilio adversatur.

At quem dramatum officium sit, etsi musice
agantur, hominum vitae quasi fragmenta fingere ac
exprimere, maximas partes caeco Cupidini tribui
necessarium videtur. Quibus oblatis, etsi licita sint
et quavis turpitudine parentia, flecti paulatim mores
ac corrupti spectaculorum assiduitate fatale est. Res
fusa per tractatione non indiget, post ea præcipue,
quae magna sapientia Ieremias Bonomelli Cremon-
ensis episcopus, datis pastoralibus litteris, quas de
theatro inscripsit, recentissime animadvertisit; nec a
Bossuetii querimonis quas ille retulit, circa haec
dissentire cuivis cordato viro licebit.

Quid vero cum tot ac tantae fabulae dishonestis
amoribus illigatae in scenam prodeant? Gaudet enim
has primum fingere insignium artificum infaustum
agmen, qui verissimum vitae adspectum, nonnisi
in eo exprimendum arte sibi censem quod fo-
cundissimum ac maxime sordidum sit, ut, quo magis
inter hominum societatem virtutes vitiis supererentur,
ita in eorum operibus criminibus ac flagitiis po-
tissimum tribui locus videatur.

Quos falso tractandae artis consilio deceptos in-
numeri proxime sequuntur, qui ingenium pennis
parum validum malis illecebris fulcentes, spectan-
tium plausus sibi conciliare per fas et nefas nituntur.

Spectaculorum post hos susceptores, corruptis civium moribus confisi, huiusmodi fabulas actoribus agendas imponere ac proferre maxima spe lucri non dubitant.

His omnibus, quae ad intimas spectaculorum conditiones pertinent, externa additum: hominum qui fabulas agunt delapsos plerumque mores, praecipue mulierum, quae formae illecebras ostentare, ut plausus lucrum captent, non renunt; additum, quoniam de hoc loquimur, adstantis ipsius multitudinis et muliebris praelestum coetus animos, quos, subiectis fabulis paulatim male commotos, habitus et adspexit satis ostendunt; ac fatendum quovis pacto tibi erit nullibi forte in adolescentium perniciem plura vel maiora parari. Quodsi ad ultimum chorearum memineris, quae musices spectaculis adiungi plerumque solent, dederis profecto ingenuorum artium musices et picturae honestis blanditiis tales esse ab hominibus, perditio consilio, muliebres illecebras additas, ut optimae illae artes non ad cultum animalium et levamen adhibitae, sed ad voluptatum omnium lenocinium publicatae videantur.

Haec sunt, nec facile contra dixeris, hodiernae spectaculorum conditiones ac pericula; quid igitur erit, cum nec alibi bonarum artium solamine recreari nos liceat, et quasi necessario iis uti cogamur? Facilis est in corruptionem artium natura; at modus quo nobilissimae haec divinae pulcritudinis aemulae in melius dirigi valeant nullusne est? Rem, si placet, alias absolvemus.

I. ANTONELLI.

A TRAHEA AD CURRUS "AUTO-MOBILES"

PHILOSOPHUS quidam cum rogaretur quo potissimum argumento praestantiores brutis ostenderum, idque hoc praelestum tempore, quo vel a brutis natum, vel brutis compar asseritur genus humanum: indole, inquit, ad maiora quotidie conante, et quotidie adipiscente maiora. Formicae enim et apes et fibri domos aedificant hodie quales ad unguem a saeculis, nihil in melius, nihil in deterius vel ausi, vel passi. Nostri proavi e cavernis et malibus ad illa devenero portenta, quae Ephesina tempa, Mausoli tumulus, Aurea Neronis domus, amphitheatra, Vaticana moles nominantur. Ovinis et belluini pellibus vix olim induit, maiores nostri ad sericas, et acu pictas, et auro intertextas vestes progressi sunt, dum aranea eadem et net et intexit, velut initio nevit ac texuit.

Immobiles instinctu bestiae; ascendentis ingenio ad potiora homines.

Haec mihi venerunt in mentem iis de curribus

verba facti, qui modo, alite bono, invalescunt, et *auto-mobiles* vulgo nuncupantur; quibus, abrogatis iumentis trahentibus, tutius, et minori impedio, et celeriori motu aliquando trahemur, sive electride, sive vapore aqueo, sive petroleo motum cibibus.

Quo latius patuit orbis habitatoribus, quo frequentiora fuere commercia, et vita effecta breviore, rependenda ociori cursu hominum negotia, eo magis humanae mentes fuerunt intentae iis inveniendi, quibus rapidius itinera vincerent, et quae humani corporis conditiones temporum et locorum conditionibus aequarent.

Hinc primum traheas signare solum, bobus ad intentibus; mox additae traheis rotæ, quibus facilior tractio; postea sufficti, celeriores bobus, equi; dein ita constituti currus ut, clathris ex chalybe subiectis, vectorum neque res, neque membra inaequali viarum strato subsultarent, ac vexarentur; tum vero

fraeno, quo dextrorum aut sinistrorum ad libitum aguntur deviae vel conviae, retrogradae vel anterogradentes ad mentem automedontis, itemque ad nutum medio in cursu compescendae cohibendae que penitus, vel moderanda, vel dimittenda toto impetu laxis habenis. Quo tales abeunt, ut singulis horis vel quindecim chilometrorum spatia praetervolent.

Hoc autem veluti medium quoddam, ab extremis utrisque remotum, exceptum est, quum sint huiusmodi currus qui 40, et vel 60 chilometra unaquaque hora percurrent, unusque nuper, petroleo submoveente, 1432 chilometra inter Lutetias Parisiorum et Amsterdam, iens et rediens triginta tribus horis ac momentis quatuor, peragravit. Quinimo nuperrimus diebus Lutetiis Parisiorum statio constituta augurio soleminis est, qua huiusmodi currus demigrent quaqueversus per urbem ad bonum gentium et inhabitantium et convenientium, quasi parva villa, quo trahendi equis currus magno denique incendio penitus comburantur.

Neque temporis, neque spatii nostri est ea singillatim enumerare, quae ad huiusmodi machinas sunt, neque diversos et variis instruendi modos edicere, nec qua dispositione utantur. Spatium fortasse excessimus, sitque venia excedenti, qui, bono hominum proposito, ominatur brevi suapte vi ferentes curris in usum omnium adventuros. Quod

stratae viae sunt lapidibus, atque eo per agros montesque deductae, ut minima inclinatione trahentes bestias fatigarent; post haec ferreis munitae sulcis, quibus nullo fere attritu rotæ volverentur, atque inventa ea machina est, in qua, ebullientis aquae vapore, ferrea brachia, rotarum radio haerentia, modo eiecta modo retracta rotas ipsas impositumque desuper onus per ferreos illos sulcos propellunt, et adiectum catenis sequentem rapiunt curruum carrorumque comitatum.

Quid obstabat quominus per liberam, nec ferro inscriptam viam currus huiusmodi traherentur? Primum semel arrepta celeritas, neque in curvis sinuque docilis machina; tum urbanarum viarum angustia; tum pondus ingens; tum adminiculorum congeries, sine quibus progredi non posset.

At nunc omnia, quae contra, exclusa fuerunt, novis ad ciendum motum auctoribus accitis atque insertis, videlicet aut electride in dinamo-promptuariis constricta et coacervata sapienter, aut petroleo, cuius igne, coruscante in carceribus quibusdam ferreis, brachia illa, queis rotæ agitentur et convertantur, efferuntur et, nulla morsa interposita, retrahuntur, mox iterum atque iterum sexcenties eiicienda, et revocanda.

Hinc factum est, ut apud Anglos et Americanos huiusmodi machinae in usu iam sint, consentientes

enim tutius et commodius experti sumus in publicis curribus, qui nunc patent omnibus, nostrisque secant quaqueversus vias, si cum praeteritis, cumque his, qui, trahentibus equis, hactenus sunt, comparentur, hoc pariter et commodius exspectandum ac tutius est, si privati isti et liberi currus in usum deveniant singulorum, prorsusque communem.

SENIOR.


EUCHARISTICI TRIUMPHI

RIDENTI undique naturae arrident sacra templorum auro argentoque micantia; quibus Christi laudes, quasi gemitus, ad coelum sublatae, maiorem afferunt maiestatem.

Vicatum Christi corpus, festivis concentibus resonante aethere, circumfertur; quod ad adorandum devota multitudo effunditur portis. Cohors ingens procedit; et eucharistici sodales, et puerorum agmen candidis vestimentis, purpureis alis, rutilis capillis, cirris hinc inde per colla fluentibus, viam floribus a Deo petendam plenis manibus spargens. Sacerdotes sacris paludamentis induiti subeunt, vultu composito, gravi incessu; brevique spatio interiecto, ecce sacrae Hostiae internitentis theca, magno facium collocatum comitante ordine.



Eucharistia ad Catacumbas (ALEX. CECCARINI pinxit).



Sacra
Pompa qu
mate ornata
sublime, adm
lum intimas c
riam reducen
« alas ad vola
musae, divin
morum mont
datum, atque

Dum ult
arcus, flore
nent; quanto
victores, milit
stos, tempora
ovantes, quon
caedibus rend
ptivorum sang
riam victorian
et hostia eva

et signa, de
nebunt.

E

D
urb
est magni
tarri vestri
gratum fore
iis quae de
dierna Batava

At paucis
mercatura, u
conferunt, nil
« batavici en
« batavicum
significo, qua



Sacellum Collegii Pii Latinus Americanus, Romae.

orsum ad libitum
gradae vel ante-
ntis, itemque ad
dae cohibenda-
dimittendae toto
eunt, ut singulis
in spatio preter-
dam, ab extremis
quum sint huius-
metra unaquaque
petroleo submo-
as Parisiorum et
anta tribus horis ac
nimis nuperimis
constituta augario
demigrent qua-
uum et inhabitan-
tum et convenien-
tum, quasi parva fa-
la, quo trahendi
uis currus magno
nique incendio
nitus comburant-
ur.

Neque tempora-

, neque spatii

stri est ea sin-

latimi enumerare,

ne ad huiusmodi

machinas sunt,

ne

diversos et va-

s instruendi mo-

edicere, nec qua-

positione utan-

Spatium for-

e excessimus,

ne

venia exce-

ti, qui, bono ho-

um

proposito,

natur

brevi sua-

vi

ferentes cur-

in usum omnium

enturos. Quod

imus in publicis

postrisque secant

is, cumque his,

, comparentur,

endum ac tutius

asum deveniant

Pompa quae solemnis urbis lustrat vias peristro-
mate ornatas floribusque effusis olenes, est aliquid
sublime, admirandum, novum; ita ut illius spectacu-
lum intimas cordis fibras agitat rapiatque, ad memo-
riam reducens Rückerti ardens illud desiderium:
« alas ad volandum praebete mihi! » Christianae vero
musae, divinae fidei alis suffultae, supra procerissi-
morum montium ardua cacumina sese extollere est
datum, atque magno ausu ad infinitum se ferre.

Dum ulterius proceditur, ingentes triumphales

arcus, floreis sertis, spicis, foliisque intexti, superemi-
nent; quanto affabiliori sermone loquentes quam qui
victores, militiae fortia gesta ostentantes, spolis onu-
stos, tempora lauro cincta gerentes, magno honore
ovantes, quandam excepunt! Non enim de cruentis
caedibus renovant memoriam, neque spumanti ca-
pitorum sanguine sunt erecti; sed triumphum, glo-
riam victoriamque significant Illius qui vitor simul
et hostia evasit, cuius

Porrecta maiestas ad ortum
Solis ab hesperio cubilli,

et signa, de mari ad mare prolata, sempiterna ma-
nebunt.

P. PASQUALI.

.....

EX BATAVIA

DE militari apparatu coarctando iam Haga in
urbe congregatus est conventus, de quo, ut
est magni momenti negotium, et vobis et commen-
tarii vestri lectoribus, ut proxime scribam haud in-
gratum fore confido. Placet hodie quasi appendicem
iis quae de huius civitatis capite scripsistis, de ho-
dierna Batavorum gente aliud attingere.

At paucis verbis complecti possum: Batavi enim
mercatura, ut quam maxime dediti, omne studium
conferunt, nihilque laboris intermittunt, ut in maius
« batavici emporii » beata sors augeatur. Et cum
« batavicum emporium » nuncupo, Roterodamum
significo, qua urbe non alia, his in regionibus, com-

mercis aptior, tam natura quam
arte, immo et populi indeole.

Haud ita multis abhinc annis,
quinquaginta millia incolarum cum
non excederet numero, nunc penè
supergressa est millia tercenta.
Quod incrementum, si bene cal-
culum ponas, quasi ex necessitate
locum habuisse manifestum fit, et
quantum humana coniicere datur,
fiet maius in dies.

Ceterum, ut iam diximus, hoc
fecit natura cum arte coniuncta,
quod nec sola natura nec ars sola
potuisset.

Quid enim? Sane, quod ci-
vitatis ad ostia Rheni aptissime sita
mercimonia totius Germaniae in-
ferioris vel ad occidentem ver-
gentis imprimis colligat et spar-
gat, hoc nihil habet admirationis.
Sed quamvis magnum aspectu
flumen, aquisque Mosae ditatum,
cuius etiam nonien, nescio cur,
usurpat; cymbarum fluvialium
magis quam maritimorum navium
erat per se capax, cum arenarum
indesinenter moles inventae al-
veum non profecto paecluderent,
sed angustiorem ideoque minus securum facerent.
Quin etiam a Romanorum ad nostros dies cata-
clysmis quandoque furentibus, aquarum vis itiner-
multifariam sibi aperuerat indesinenter mutata, et in
immensam paludem versa aquatilibus plantis undique
implicatam, quam sua lingua « Iuncorum sylvam »
(Biesbosch) Batavi appellant.

Quibus defectibus medendum erat aggeribus hinc
erectis, inde canalibus effossis et aliis multis hoc
genus operibus. Ac primum quidem usque ad mare
ab ipso emporio alveum purgare alluvionibus, et sic
purgatum in dies repurgare, ut etiam maximae
naves, id est quae onustae usque ad xxvii pedes et
etiam paulo plus, se immittunt in fluvium, omni
tempore liberum haberent et a mari ingressum et
ad mare egressum. Grandis sane labor et quem,
cum inciperetur, plerique nasute carpserunt dicentes:
« En saccos aureis plenos saccis mutant arena plenis ». Interdum hydraulicae inter primos gnari scientiae,
egregii fabrorum ductores ac magistri qui se
operi accinxerant et indefesse absolverunt, nihil ca-
chinos et ridicula verba curantes, cum meritorium
in futura scirent. Hodie Mosa navigiis redundant et
sacci arenae hinc electi sacci aureorum vere sunt
facti. Complurium nationum, sed, ut semper et
ubique, maxime Anglorum huc adpellunt nautae.

Et continuo in melius negotium ver-
titur, nec quidquam omittitur, quo celerius,
et aptius et securius merces transvehan-
tur. Inter machinas, non tantum eminent
versatilia carchesia, queis immensa pondera uno quasi momenti puncto attolluntur
vel vicissim elevantur, sed et tanti
roboris sunt certi sinus ex ferro affabre
compacto, ut cum navem plurium ampho-
rarum millium accipiant, eam commode
prehensam vaporis auxilio in siccum eve-
hant, ita ut si quid in ea peccet ex vi
fluctuum, vel alia qualicumque fortuna,
praesto medela subsit. Nec die, nec nocte,
si interfuerit, refectione intermittitur, cum
luminaria ex electro undique profusa ipsum

Phoebum aemulentur. Nec me, lector, panegyri-
cum scribere credas: Batavus non sum; igitur sine
gratia loquor, « quorum causas procul habeo », ut
historicus ille, a quo Plinius junior se longo, quam-
quam proximo, distare profitebatur intervallo.

Roterodami.

M. L. MICROVIR.

DE COLLEGIO PIO LATINO AMERICANO ROMAE INSTITUTO

COLLEGII Pii Latinus Americani, quod nunc hospitio
plerisque recipit episcopos qui Romam convocati a
Summo Pontifice Concilii causa petiere; ubi inimmo ipsum
Concilium congregatur, ea fuit condendi occasio et mens.
Eyzaguirrius, Chilensis sacerdos, divinae gloriae cum
primis studiosis, in id iamdudum venerat consili, ut sanctissimae religioni in australi America tuendae propa-
gandaque peropportuna ratio exquireretur: haec illi apud
animum suum assidue agitanti opportunius nihil succurrit,
quam si selecti ex iis regionibus adolescentes Romani
submitterentur, ad solidam ibi pietatem doctrinamque in-
formandi, qui deinceps Americam repeterent, ut sacer-
dotalibus apud populares suos muniis sancte perfunge-
rentur. Romam confestim advolat, ut cum Pio IX P. M.
de re tanti momenti coram communicet, ab eoque omnem
agendi viam atque rationem edoceatur. Mirum dictu est
qua hominem benevolentia excepit Pontifex, quantaque
in eam sententiam assensione concesserit. Dantur
Eyzaguirrio litterae, quibus australis Americae praesules
impense rogantur, ut qua pecunia, qua omni alio praesi-
diorum genere tanto operi inchoando perficiendoque
manum admovere minime cunctentur.

Itaque Eyzaguirrius longo arduoque itineri sese rur-
sum commitit, feliciter in Americam revertitur, plures
adit episcopos, strenue cum illis de Collegio in Urbe con-
dendo agit; qui plerique omnes ad eius consilium per-
quam libenter accidunt. Quum non multo post quindecim
ex America adolescentes Romam eodem duce adveni-
sent, Collegio initium factum est xi calendis decembris
a. MDCCCLVIII, quae dies sacra recurrerit Virgini Mariae in
templum a parentibus deductae. Nimurum placuit in coe-
lestis Patronae et apostolorum Reginae tutelam juvenes
tradere ad apostolicam vitam instituendos. Ac primo qui-
dem collocati adolescentes, novi Collegii semina, in ae-
dibus patrum clericorum regularium, quos Theatinos
vocant, ad S. Andreæ de Valle; traditi tamen statim ab
initio in disciplinam et institutionem patrum e Societate
Iesu. Aucto dein eorumdem numero, coempta est a patri-
bus Dominicanis domus in foro Minervae, eoque deduci
mense octobri vertente anni MDCCCLXI. Quia vero haec ipsa
domus, ob crescentem in dies ex America advenientium
numerum, angustior facta est et incommoda ad domesticas
exercitationes, mense maio anni MDCCCLXVII translatum
est Collegium in aedes tyrocinii Societatis Iesu ad S. An-
dereæ in colle Quirinali, ibique per annos continenter
viginti constitit; donec impellentibus causis, quas hic re-
censere minime oportet, loco cedere et propriam sibi ac-



Prospectus Collegii Pii Latinus Americanus, Romae.

stabilem mansionem e solo erigere coactum est, in quam, ad prata Castrensis, uti vocant, prope oras Tiberis positam, mense novembri ineunte anni MDCCCLXXXVII deductum fuit, quamque brevi persequemur.

Porro in id semper intenderunt animum Collegii moderatores, ut confluentibus hoc ex America iuvenibus eiusmodi pararent domicilium quod, et amplitudine sua bene multos complectetur alumnos, et sua commoditate eorum bono ac saluti prospiceret. Iamvero utrumque novae domui perbelle congruere facile intelliges, ubi illam attente conspexeris. Et ad amplitudinem quod attinet, iuvat profecto, animosque misericordia oblectat molem hanc aedificii contemplari, quae ceteras inter aedes vicinitatis una maxime eminet et emergit, quippe quae sexagenis metris in latitudinem se extendit, in longitudinem nonagenis. Magnificae domus fronti, quae tribus constat ad incolendum ordinibus, magnificus respondet introitus. Tribus illis externis ordinibus triplex interius adnectitur contignatio; quarum duo superiores diaiecti et uno ambulacro, qua domus longitudi pertinet, continentur; inferior vero praeter cubicula, quibus tota instruitur, ambulacrum longissimo per totam palatii aream circumeundo percurritur.

Iamvero, ut ceteras omittamus, sistere iuvat in illa parte aedium, quae facile praestare deprehenditur, totaque continetur duabus aulis iisque maximis, quarum una inferior subest, altera superior eminet. Prima illa, quae obvia patet domum introeuntibus, in elegantis theatri formam assurgit, in eaque non solum ludi scenici, verum etiam academicae, festivae recreations, et aliis quovis nomine conventus fieri solent: et habet spatiuum podium, totum caveae ambitum suo ductu circumiens, unde praestantisimi viri spectaculis adstant possint. Altera vero, cuius aditus scandentibus patet contra aditum secundae contignationis, in sacelli domestici usum composita fuit, quo sacramentum Eucharistiae servaretur, sacrisque ritus iuxta Collegii morem celebrarentur: ibi hisce nostris diebus ab episcopis Americae Latinae Concilii sessiones habentur.

Tota sacelli aedes tribus navibus constat, quarum maior in medio posita et in altitudinem assurgens, camerata testudine cooperitur. Terni utrinque arcus muris columnaribus suffulti eam a minoribus seiungunt navibus, quae licet pro nullo decorentur ornata, ambae tamen tribus altaribus instructae sunt pro re divina. Maioris, cuius modo mentio fuit, initium navis est absis, cuius in medio constitutum eminet altare princeps, quod toti prope sacello dominari dixeris: siquidem eximium illud est opus ex metallo et pretiosis lapidibus elaboratum, in quo valor ipse cum arte videtur propemodum decertare. Huic altari maximo desuper imminet speciosa Beatae Virginis icon, in apto loculo ad instar aediculae inclusa; quae depicto sacerdote ad portas officiis celebrandis ad libitum aperitur. Haec quidem est elementaria forma sacelli, pulchra illa quidem et in se valde praestans, sed oppido praestantior et pulchrior, si imagines affabre pictae et plura quibus emicat ornamenta prae oculis habeantur; quae omnia ad unum consilium facile prospicitur suisse accommodata, Deiparae Virginis immaculatum spectare Conceptum, cui parvum templum hoc est dicatum.

Spatii angustiae impidiunt quominus, ut est in votis, fusius de hoc Collegio, quod optime sane de humano genere meruit, disseramus; qui plura dignoscere cupiat ad opusculum, quod R. P. Nicolaus Angelini e S. I., olim Collegii rector, ad rem scripsit, atque unde notitias de promissimus superius allatas, delegamus.

ALPHA.

LAZARUS SPALLANZANI

LAZARO Spallanzani, italo Christi sacerdoti, cuius centenaria mortis commemoratio nuper solemnis honoribus celebrata est, plaudentis memoriae tributum persolvere in commentarii nostri paginis debitum existimavimus. Consilium vero praecipuum fuit, ut naturae investigatoribus insigne doctissimi viri exemplum proponatur, qui inter naturalium rerum studia nec a divinae religionis tramite

nec a sacerdotali munere umquam discessit, eaque mira concordia coniungi posse, clarissimis a se gestis rebus ostendit.

Scandiani, in Regiensium finibus, anno 1729, die decima secunda mensis ianuarii natus, et a patre iurisperito doctissimo in prima adolescentia humanis litteris edocetus, Regium deinde, ut rhetoricae ac philosophiae operam daret deductus est. Ibi, in collegiis Patrum e Societate Iesu, primas ex gravioribus studiis laudes retulit, post quae in celeberrimo Bononiensi athenaeo utrique iuri excolendo vacavit.

Verum hanc disciplinam brevi est persequutus. Ingenio enim resistere non valens, sese totum naturalibus disciplinis tradidit; cum Antonii Vallisnieri civis sui celeberrimi gloria ita se perturbatum adolescentem diceret, ut, tamquam Themistocli Miltiadis trophaea recogitanti, nec somno indulgere liceret. Sed Vallisnieri ipsius interposita auctoritate, qui iuvenis ingenium futuraque gesta profecto divinaverat, liberam studiorum optionem a parentibus impetravit, et, quod pariter maximè ab adolescentia concupiverat, ut sacerdotio augeretur, assequutus est. Tunc se totum altioribus literis, veterum linguis, matheseos, physicesque disciplinis dedit, et anno 1754 logicae et graecis literis tradendis doctor in Regiensi schola est renuntiatus.

Ex ea tam a Coimbrensi quam a Parmensi athenaeis frustra ut recederet vocatus, Mutinensium invitatione anno 1769 tandem accessit, qua in urbe decem annos moratus est. Tunc Papiensis civitas eum invitavit, ut in athenaeo naturales disciplinas doceret, museoque praeesset. Ibi novem annos inter assidua illa studia traduxit, multa tentans multaque inveniens, quae ad earum progressum perutilia posteris fuisse satis constat. His minime contentus, ut traditum suae custodie museum angeret, itinera aggressi coepit; quo consilio anno 1779, 1780, 1781 Helvetiam omnem, atque interni maris litora a Labrone ad Massiliam exploravit; deinde sequentibus annis Euganeos colles, Adriatici maris oras, Aegaeique insulas Corcyram, Cytherasque, Byzantinam civitatem, atque Haemi suppositas provincias lustravit; tandem cum Vindobonam attigisset, in patriam reversus est.

Tot tantisque laboribus susceptis, in Papiensi civitate, legens in athenaeo et arcanis naturae investigandis sedulo vacans, multaque explorans et conscribens, reliquos vitae annos absumpsit. Opera ab eo exarata Galli, Angli, Germani, suo quisque sermone vulgabant, ac celeberrimi per Europam omnem academicci coetus illum inter socios adscire gloriantur. Quin immo, post Gallicas sediciones ac perturbationes, cum exercitus Italianam pervadentes Papiam tenerent, Saliceti dux senescenti iam sacerdoti cathedral naturalis historiae Lutetiis Parisiorum, reipublicae mandato, obtulit, quod ille munus senio ac morbis graviter iam laborans renuit. Tandem anno 1799 apoplexia correptus, die februario decimasecunda septuagesimum agens annum obiit.

Dexteritas, qua omnibus vel doctissimis, qui illum praecesserant, antecelluit, experiendi naturae vires atque periclitandi praecipua in eo fuit, ipsaque adiuuante multa adinvenit exploravitque maioribus penitus ignota. Inquirens enim aeris atmospherici effectus in animantibus mortuis, vel in stomachi, viscerum iecorisque partibus, carbonii atque hydrogenii combustionem probavit. Pariter multiplicatis periculis eo pervenit, ut clare ostenderet oxygenum ex aere et acidum carbonium ex sanguine in pulmonibus commutari, viditque illud etiam vermiculis esse necessarium, quos cute aerem spirare expertus est. Eadem

fere de amphibiis ostendit; nam ranam pulmonibus orbata spirare adhuc, sandaracha contra illinitam emori videt.

Digestionis abdita mysteria multiplicatis experimentis tum in vitro, ventris liquoribus ad rem extractis admotisque, tum in seipso, non sine gravi valetudinis periculo, revelavit. De sanguine sese circum corpus agente Malpighium et Hallerium sequutus, multa ignota exploravit, quorum pariter experimentis edocetus de animantium generatione nova perspecta habuit. Foecundationes immo arte provocatas ipse primus instituit, et in lumbricis, polypis, salamandris regenerationem partium acute expertus est. In hac tamen, initio cum Needham ac Buffon certamine, *microbos* omnes qui in infusionibus vel in putrescentibus liquidis vivunt propriam habere vitam monstravit, et suis germinibus multiplicari.

Interdum Papiense museum, contra Lynnaei asseclas, innovato ordine dispositum, custodivit et auxit; inutiles enim nomenclatorum ineptias acriter obiugabat, et in itineribus quae suscepit non tam colligendis exemplaribus animum adiiciebat, quam naturae phaenomenis explorandis. Igitur in itinere illo quod per mare internum habuit, de ictibus piscis, cui torpedo marmorata nomen, de molluscis, de celereratis, denique de maris phosphorescenti lumine multa explicavit, quod deinde in Messanensi freto etiam in medusarum corporibus insidere cognovit. Ad haec, inter alia, ut physicam naturam et biologiam animantium quae in mari vivunt exploraret, anno 1783 in Veneris Portu opificium posuit, quod prima ferme zoologica statio fuit.

Diem itaque, quo italicae gloriae ac naturae studiis eruptus est, merito aequales luxerunt; nos vero sollemnem memoria recoluimus hominem, quem clarissimi viri inter naturalium disciplinarum studiosos Alexander Volta, Antonius Scarpa, Antonius Vallisnieri, Buffon, Needham, Trembley, Bonnet, Saussure, Sénebier aliisque plures quasi oraculum colere, et consulere frequentissime solebant.

De illo enim Sénebier aiebat, se Italiae gratulari et invidere, quod ipsum genuisset; Bonnet iterabat, Lazarum exiguo annorum spatio longe plura explorasse, quam multas in Europa illustiores Academias; Haller denique vir clarissimus, ipsi inscribens quartum volumen *Physiologiae* a se conscriptae, paucis verbis summum eius elogium protulit, quo brevem hanc memoriam concludere nobis etiam placuit: « Summo naturae in minimis et difficillimis indagatori, ob eius in veri finibus extendendis merita ».

A. COSTAGGINI.

NOVA AD SEPTEMTRIONEM PROFECTIO

PROXIMO ineunte mense iunio ex Norvegiae urbe Laurving navigio, cui *Polaris Stella* nomen inditum, nova fiet exploratorum ad septemtrionem profectio.

Iuvenem vigesimum sextum vix agentem annum Aloysium e domo Sabauda ducem, qui audacissimum facinus agreditur, confecta iam indefesse terra marique itinera clarum atque rei peritum fecerunt, et praecipue montium Alaska, in hyperboreis Americae regionibus, intactum hucusque fastigium elapo anno concensem.

Qui nobili viro huic ascensionis comes fuerat, Humbertus Cagni, bellicis navigiis praeses, nunc secundum obtinet locum: huic iuvenis alter succedit, Venetus, ex patricio genere Querini, qui inter recentissimas Cretensium sediciones, militaris virtutis praemio, aureo numismate donari meruit. Medicus Cavalli Molinelli omnes comitatur; itali insuper classiarii selecti duo, monticolae ex Alpibus quatuor, Nerigenges nautae decem, Esquimensis

canum auriga quidam, quem una cum centum ac viginti canum turma prope Archangeli litora navis accipiet.

Capsae, quas secum septentrionis hi excursores videntur, quingentum supra millia sunt rebus omnibus referatae: cibis, vestibus, instrumentis doctisque machinis, et etiam ludicris, quae inter parvus quoque cymbalus est, qui inter nivales solitudines patriae musices harmonia viatores recreabit: his omnibus denique globi aerostatici duo adiecti sunt, quibus, si necessitas postulet, exploratio persequi quovis pacto valeat.

Navigium igitur regionem versus quam Francisci Iosephi nuncupant iter arripiet, ut quo citius longiusque licet latitudinis gradum ad septentrionem quam maxime proximum mari attingat, ibique superveniente glacie in hibernis quiescat.

Hiematio in comparandis ad secundum et fatale iter necessariis, viaeque aptis ciborum rerumque omnium acervis instruendis absumetur, post quae remeante aestate, ductis a canibus vehiculis, ut optata poli maria audacissimi nautae feliciter attingant, unde italicae gloriae sonitus per orbem universum pervagent, ex animo ominamur.

X.

IN HERBAM NICOTIANAM

*Horribiles hominum strages patriaeque ruinae
Non mibi laudanda, nec mea musa canit:
Herbani divinam canto, quae pectora fumo
Mollit amabiliter, cordaque nostra levat.
Nube sub umbrosa fumi nec crimen habetur,
Nec coepere locum iurgia, bella, nefas;
Auraque dum circum dicensis voce susurrat,
Aëris per medium caerulea serla volant.
Herbae paciferae qui mollia gaudia gustant
Laudant quod prosit, divitiasque paret.
Fesso fert animo requiem subigitque dolores,
Et domat hac fumo rusticum esuriem.
In fumum curas haec optima dimovet atras;
In fumum ipsa autem somnii ad instar abit.*

D. MACRAE.

LIBERALIUM ARTIUM OPERA

VENETIIS NUNC COLLECTA ATQUE PUBLICE EXHIBITA

TEMPUS quo Venetas appellerem aptius deligere ferme non poteram, cum urbis late olim maiorum dominae venustatem, renovatus hinc veris adspectus, collectaque inde ingenuarum artium picturae sculpturae recentissima monumenta duplice veluti serto florum, tabularumque augeant.

Et sane, caeli marisque circum nitentis totiusque naturae pulcritudinem, aedes, tempa cuiusvis denique artis opera venustissima tot celeberrimorum artificum ingenio excitata, tantas maiorum historiae ex tot saeculis memorias in unum collectas, nulla alia mundi urbs, Roma posthabita, proferre mea quidem sententia potest. Hanc denique pictoriae artis celeberrima schola, Titiano Vecellio duce, illustravit, ut aptior ad annuam tabularum ostensionem locus non sit.

Quam, die exacti mensis aprilis vigesimaquinta, divo Marco urbis patrono sacra, solemniter patefactam, visitavi, nostrisque commentarii lectorum haud parvi interesse censui, brevi descriptam exhibere.

At quantam ex iterata illustratione conceperim mente laetitiam non facile vobis aperiam; optimum enim italo est divinarum artium amatori fervidissimo, tot celeberrimorum virorum collectas tabulas conspicere atque admirari, tanto urbis decore praecinctas: quae enim undique terrarum huc missa ab omnige-

narum nationum artificibus videmus, non immerito profecto quasi honoris tributum arbitramur in natale hoc solum, cui, ut Graeciae olim, ingenuarum artium, prout hodie se habent, parentis atque altoris laudem omnes tribuunt.

Quod extranei profecto unanimi quidem et acriori quadam consensu existimare videntur; suas enim quisque tabulas - de his enim peculiariter loquuntur Angli, Batavi, Dani, Galli, Germani, Iberi, Scandinavi, ceterique ita seleverunt, quae hac alma in urbe iure meritoque inter se possent certare.

Namque Germanus ille Franz von Lembach, quem inter imaginum pictores principem sui cives salutant, effigies ad viginti fere in separato cubiculo exposuit, et vel si Friderici III solemne supercilium, vel Bismarckii aut Moltkii spirantes adhuc vultus, vel suavissimam dominae Merk infantulum blandientis tabulam species, quae pulcherrima sit non facile dixeris.

Germanum hunc plures sequuntur: Dettmann, Dill, Hermann, Höker, Leibl, Liebermann aliique sive inter patriae fines, sive ad exterios celeberrimi.

Dani, Scandinavi, Batavi, quibus proxima cubicula sortita sunt, suavissimis pariter tabulis sue virtutis periculum faciunt, ac magna cumlati gloria et cuiusdam praecipue facilitatis ac simplicitatis laude superant.

Hos Scotti aemulantur, ex Glasguensi schola selecti, qui suae regionis vivendi genus patriosque mores peritissima Minerva ita reddiderunt, ut quasi eorum montium valliumque aer te putes spirare.

Anglis Alma Tadema praestet, cuius nomen in omnium fere gentium ore versatur; adestque inter alios Brangwyn tres tabulas ultro prodens, quarum alteram Magos reges, alteram Vesperum, tertiam Bacchanalia inscripsit, insolita colorum vi motuque effectas.

His Americani, sanguinis veluti vinculo sociantur, quorum dux Nuill Whigtler, foeminam illam ex porcellanarum regionibus principem sub oculis ponit.

Cetera omitto, ne longior sim; aegre tamen; omnia enim fere quae collecta heic vidi, tanta rigiditate a iudicibus qui aedibus praesunt selecta sunt, ut hodierna recensio, omnes, quae praecesserunt, longe superaverit, et altissimum artis fastigium attigerit.

De Italibus vero quid dicam? Multa sunt ipsis cubicula adscita et optimis ferme operibus plerumque referta, inter quae peculiari mentione dignum videtur alterum illud quod Romanorum collegium, cui nomen *In Arte libertas*, obtinuit. Neque profecto, licet tanta ad nos convenerint undique ex nationibus celebrissima monumenta, artifices nostri inferiores ex certamine discesserunt; immo italicarum artium gloriam et maiorum traditiones strenue tuiti sunt.

Praestantissimus tamen inter eos quasi triumviratus evasit, Michettius, Sartorius, Favrettus.

Primus in albo cubiculo, plurima inter studia, nonnullas tabulas exigui ambitus offert suavissimo, uti assolet, artificio confecta; alter contra ingens misit dipticon *Gorgona atque heroes*; *Diana Ephesina atque servi*, quod et mole et pulcritudine et praestanti virtute mirandum omnibus fuit.

Cubiculum vero quod postremi opera continet, quasi mortui illius fanum appetat, at Venetiarum tributum pictori suo fidelissimo profecto haberi licet.

Nec enim quisquam hucusque ditissimi ac pulcherrimi huius urbis adspectus, ortus solis in lacunis vel occasus, tempa, naviculas, aedes, popularium mores, foeminarumve pulcritudinem tanta veritate fictis tabulis expressit.

Ex hoc vita functi clari viri cubiculo, qui multa adhuc viventes edocet, veluti recreati, ac viva vitalique unda refecti, aedes reliquimus. Notae haec motusque animi in illustratione concepti, quae sint vel quo pretio facienda, iudicare vestrum erit, dum ego urbem formosissimam artisque solemnia aegre linquens, iter ad Novocomum urbem ingredior, ut severiora doctrinae portenta, in electridis inventorum recensione, perlustrarem. Inde, si iter auspicatum Deus dederit, ad vos iterum scribam; interea vosque simul pulcrae Venetiae valete.

A. L.



ANNALES

Samoenses eventus - Ad Philippinas inita pactio - Antillarum et Transvaal reipublicae perturbations - Sinenses minae - Catholica religio in Sinarum imperio permissa solemniter - Conventus de pace.

BELLICAE minae quae Samoensibus insulis impendebant, abactae tandem felici exitu videntur; Malolu enim et Mataafa regum sectatores, conciliatis tandem animis, sententiae legatorum, quos America, Anglia et Germania ad componendas eorum res miserunt, sese subiecturos professi sunt.

*
Ex Philippinis interdum haud dissimiles res nunquam aguinaldi namque legati pactionem invenire, qua liceat tandem impari bello finem imponere. Incolarum vero libertas illa, quam ut ii assequerentur, primum contra Iberos ad arma ventum est, vicitris Americae arbitrio relinqui videtur.

*
At ex opposito Atlantico mari, innovatae inde fesse commotiones Antillas insulas concurtiunt. Guadalupensem, gallicam coloniam, incendia vastissima huc illuc frequentissime ignoto auctore excitata pervastant; Cubam vero, quam nuper Americani occupaverunt, omnigenae insurgentium insidiae ita perturbant, ut Brooke magistro militum dictoriale imperium datum sit plenumque repressionis arbitrium.

*
Transvaal, meridianalis Africæ rempublicam, graviora perturbarunt. Hanc quidem primum Angli ne legati eius in pacis coetu Hagae coadunato recipieren-
tibus adversantes prohibuerunt. Nec satis; coniuratio enim quaedam in rempublicam inita nuperrime ex inopinato revelata est, qua curatores regionis maxime commoti anglos septem militum olim duces, quasi perduellionis reos, in vincula proiecerunt. Interdum vero Krueger, reipublicae praeses, ut adversae parti aliquid concederet, alienigenis omnibus qui novem annis saltē in regione moram duxerint, civitatis iura decreto tribuit.

*
Horum tamen omnium gravissimas Sinarum conditiones esse accepimus; hinc enim Russi oblate imperialibus administris petitione, Manciuriam provinciam ac civitatem Port-Arthur, quam ipsi tenent, cum Pekino imperii capite, ferreo itinere coniungendam sibi impetrarunt. Anglorum inde irae, quamvis hoc provinciam Yang-tse-kiang ipsis concessam nullimode tangat. Qui igitur, ut compensationem assequantur, deductis ad duo millia fere militibus ex Deep sinu ac ex Taipofu civitate bipartito agmine provincias Kau-lung et Sham-chim pervadunt, Galli interdum ob accepta recens ab insurgentibus

damna congruam indemnitatem expetunt, Germani Schantung regionem occupant, Itali San-mun minitantur: quorum omnium qualis exitus futurus sit, inter tot discordiae elementa, obscurum omnino ac impenetrabile divinationi est.

★

Attamen gratissimo nuncio, ex tot bellicis rumibus, laetati sumus ac recreati, imperatorio Sinarum decreto sanctam Christi religionem fuisse tandem aliquando probatam. Decretum quinque articulis constat, ad catholicarum missionum defensionem apertissime exaratis. Missionariis, iuxta dignitatem qua gaudent, imperii officialibus singuli singulis aequiparantur; episcopis *mandarinorum* iura tribuuntur; tutelam autem missionum ecclesiarumque omnium ad gallicum legatum pertinere edicitur.

★

Pacis conventum, Hagae indictum, congregatum videmus, cui quae praecipuae quaestiones propositae sint memorare iuvat:

1^m Ne, intra statuendum tempus, bellicae res augentur;

2^m Ut usus novorum explodentium bellicorumque tormentorum prohibeatur;

3^m Ut ex iis quae usuvenient, perniciosiora derelinquantur, nec ex aerostatis ea coniicere liceat;

4^m Ut navigiis subaqueis, vel eiusmodi navium calcari, nemini uti liceat;

5^m Ut maritimis bellis in Genevensi conventione iam provisa extendantur;

6^m Ut naves ad naufragantes sospitandos adhibite nullius partis considerentur;

7^m Ut Bruxellensis statuta de bellicis iuribus et consuetudinibus emendentur;

8^m Ut arbitratus vel mediatio, vel officiosae inter nationes commendationes, quoque liceat, adhibenda decernantur, earumque iudicialis ritus lege constituatur.

Haec sunt in votis; interdum vero Armeniorum et Macedonum supplices libellos fuisse rejectos audiimus, itemque Americanos pro arbitratu, Germanos pro mediatione pugnare, atque de armorum vi minuenda vel non augenda plurimum difficultatis habere consilium: que tamen discordiae auspicia, ut cito evanescant, exitusque tanto conventu digni appearant vehementer optamus.

POPULICOLA,

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In Anglia apud coetum municipum Brodrik, negociorum ad exteriores minister, foedus Anglos inter ac Russos initum annuntiavit, quo Sinensium Manciuriae regiones Russis, Anglis contra Yang tsè attributae sunt. Chamberlain pariter de agitationibus Transvaal reipublicae insolita ferme moderatione est locutus. Deinde quae numeri a Sinensibus Russis concessa sunt, ut ferre itinere Manciuriam Pekinumque coniungerent, iterum animos commoverunt, quos administrorum explicationibus vix sedare fas fuit. Rogatio a Mac Arthur oblate ut, vel anglicanis episcopis renuentibus, cuivis privato civi cultus divini ministros in ius vocare liceret ob malum divinorum rerum usum, reiecta est.

In Belgica militaris poenarum Codex, quem iam senatus approbat, coram populi oratoribus discutitur. Qui vero tum in comitiis tum in senatu ad sinistrum cornu sedent, de oblata rogatione ad electionum ritum emendandum vehementer protestati sunt, et sese etiam *obstructione*, uti aiunt, impedimento futuros desponderunt.

In Brasiliiana republica Campos Salles praeses ad

utrumque legislatorum coetum literas dedit, ut a se gestas res ex quo rem publicam tenuit explicaret.

In Bulgaria electiones oratorum popularium peractae sunt, ex quibus 104 electi qui gubernatoribus favent, 53 qui adversantur; 12 vero suffragia adhuc in incerto sunt.

In Gallia de Guadalupae insulae, quam seditiosi homines incendiis vastant, securitate tuenda cautum est. Interdum vero rogationes duae, altera a Gerville Reache de reipublicae statuto emendando proposita, altera de coloniali exercitu constituendo, oblatae sunt. In senatu lex, anno 1898 de laborantium infortuniis lata, prorogata est, aedilicarumque expensarum summa, quae pro incepto anno iam approbata fuerat, in futurum etiam statuta. Insuper de desertione epistolarum distributorum provisum.

In Hungaria optimum coetus, accidente vel eminentissimi archiepiscopi suffragio, de cleri immixtionibus ab electionibus arcendis legem tulerunt.

In Iberia discordiae exortae inter Silvela administratorum praesidem ac Polavieja magistrum militum, qui bellicarum rerum curam habet, ex administratorum collegio facile hunc discussurum portendunt.

In Italia novi administris reipublicae gerendae a rege electi sunt, quibus idem tamen Pelloux praesest, qui et intermissione administrationi praefuerat. Ad negotia cum exterris Aemilium Visconti-Venosta, e senatorum coetu virum aetate provectum, et in rebus atque usu diu versatum, ad vocatus est.

In Rumania dies 8, 9, 10 proximi mensis iunii, popularibus oratoribus; 13, 14, 15, senatoribus eligendis a rege indicti sunt.

SCRIBA.

LIBRORUM RECENSIO

ALFREDO BARTOLI - *Malinconie* - Grosseti, ex officina Umbronis, 1898.

- Lira Poliglotta - Pistorii, ex proelis Iosephi Flori, 1899.

Poetae venusto, quem cuiusvis gentis musae carum haberunt, vehementer gratulamur, gratiasque amplissimas referimus, quod suavissimis versiculis, tot curis agitantibus, solatia obtulerit.

P. VERGILII GENINI Miss. Aplici - *Minutiarum* libri duo - Mediolani, ex officina S. Iosephi.

De arte, quod in malas illecebras saepe labentem videamus, merito quaerimur: aptam igitur cl. scriptor, piетatem suavi ingenio cum poesi coniungens, praebet mediam. Neque id solum; patria enim charitate accensus civilis sapientiae alta protulit documenta; namque - eius verbis uti liceat - :

*Sanguine libertas populo et virtute paratur:
Partaque firmatur religione, fide.*

G. PESCATORI - *Tabulae aeneae o Tabulae roboreae?* - Bergomi, ex officina Bolis fratrum, 1899.

Leges duodecim tabularum aeneis tabulis an roboreis insculptae fuere? Quaestioneum sobria brevitate acute dirimit Pescatorius, easdem primum ex robore, deinde ex aere incisas validis argumentis confirmans.

C. BALLY - *Les langues classiques sont-elles des langues mortes?* - Genevae, typis Georg et Soc.

Dubium quod sibi auctor propositum quantum nostra intersit nemo non videt: de infelici exitu, quo aequales nostri, ut ipse affirms, Latinorum vel Graecorum sermoni dant operam multa in hoc opusculo sedulo adnotantur, causaeque indigitantur potiores. Consilio itaque nobilissimo, ut majorum eloquium, suo restitutum honori, ad utilitatem simul atque animi recreationem magnam conferat partem, hac nostra praesertim aetate, quam lucraberis una immodica succendet, toto animo plaudimus.

Petit recueil des synonymes, des homonymes, des paronymes, des idiotismes et des proverbes français, par BASILE I ATHANASSIO - Braila, ex officina M. Periclis M. Pestemalgioglo, 1898.

Opusculum perutile mira patientia scriptor digessit, quo gallici eloquii magnam se habere notitiam ostendit;

verum nonnulla in opere minus propria irrepsisse visa nobis sunt, praecipue in omonymis, ex. gr. *colra*, *coller*; *bis*, *bise*; *dais*, *dé*, *des*, *dès*; *jouer*, *fouet*; *hâle*, *hale*, *halle*, *quaes*, cum pronunciationis sonitu inter se differant, Gallicum scribentem profecto non fecerint. I. A.

The Establishment and Extension of the Law of ThurneySEN and Havet, by LIONEL HORTHON-SMITH, M. A. - Camboriti, proelis Macmillan et Bowes, 1899.

Prisci itali eloquii pervestigationes, quibus cl. scriptor, vir abundantia doctrina excultus, animum addixit prodiditque in commentario cui titulus *American Journal Philology*, ut phoneticam legem a ThurneySEN et Havet propositam firmaret atque extenderet, nunc in unum collectas diligentique ordine distributas nobis tradidit. Operi pretium addit quae sequitur appendix de particulis latinis *hau*, *baud*, *haut* cum graeca σο comparatis. Non est ferme dubium quin hoc volumen ad cognitionem ac rationem litterarum magnam conferat utilitatem; nosque scriptorem debita laude prosequimur. A. L.

IN PROXIMUM NUMERUM

De recenti morbo et restituta valetudine SSmi Dni N. LEONIS PP. XIII - Scriptis JOSEPHUS LAPONI ipsius Summi Pontificis archiater.

AENIGMATA

I. (Vulgo Rebus).

LEVA D sss U

II.

Peram teneto, nam veniunt duo
A te, parati, ferre pecuniam;
Sed fac ut hic post alterum stet:
Quodque sues comedunt habebis.

I. SULLIVAN.

Ex sociis qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus, multis figuris ornatum, cui titulus:

EN TIROL
PAYSAGES, MŒURS, HISTOIRE, LÉGENDES,
par M. GRANDJEAN.

Aenigmata ann. II, n. VII proposita his respondent:

1. I-aspi. 2. Si-mi-la.

Ea rite soluta miserunt:

Ed. Bianco, Fr. Xav. Reuss, Ag. de Aguiar, Roma; Bogremilus Maria, *Rua in Agro Patavino*; Ver. Cariolato, *Vicentia*; Quintinus Friulanorum, *ex sem. Episc. Cupersani*; Pasch. Pellegrini, Caes. Meucci, *Neapoli*; Ferd. Ferrari, *Guastalla*; Adalb. Huza, *Grybosa in Galicia*; Ios. Capovin, *Montebello Vicentino*; Aug. Narquet, *Monteloco in Gallia*; I. I. Dunne, *Dublino*; Cyr. Zucchetti, *Caravaggio ad Bergomum*; Ioan. Mediolanensis, *ex pago Masnago*; Ioan. Sobczynski, *Wloctawek*, Ios. Rokoszny, *Sandomiria, in Polonia*; Aem. Chatelain, *Lutetiae Parisiorum*; Principal Gordon, *Mancunio*; H. A. Strong, *Liserpalo*; A. Robert, *Marieville*; Iac. Sullivan, *Brooklyn*, H. Lefebvre, *De Lorimier, in Canada*; Nic. Stella, *Auxano*; A. Sordet, *Uvrier in Helvetia*. Sortitus est praemium

A. SORDET,

ad quem missum est opus, cui titulus:

LA SICILE

NOTES ET SOUVENIRS

par ROGER LAMBEVIN.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE - Ex Officina Forzani et Socii.

a irrepisse visa
gr. *colere*, *coller*;
hile, hale, halle,
e differant, Gal-

I. A.

n of the Law
EL HORTON-
gillan et Bowes,

bus cl. scriptor,
addixit prodic-
an *Journal Phi-*
sern et Havet
c in unum col-
tradidit. Operi
articulis latinis
ratis. Non est
ognitionem ac
titatem; nosque

A. L.

CRUM

valetudine
III - Scriptor
Pontificis ar-

:
5.
VAN.
interpreta-
serint intra
cipiet opus,

NDES,

respondent:
Roma; Bogre-
ato, *Vicentia*;
Pasch. Pelle-
talla; Adalb.
llo *Vicentino*;
Dublino; Cyr.
ensis, ex pago
szny, *Sando-*
rum; Prin-
; A. Robert,
De Lorimier,
in *Helvetia*.

spelitus.

PER ORBEM

Assuetis itineribus Maius mensis mitis le-
nesque zephiri favent, vobisque ferme, humani
lectores, si necum circum ire daretur, florentis
veris facies magnae laetitiae argumentum esset
viaeque felix auspicio.

Ulyssipo, festivo clamore, nos vocat inter
navalia solemnia, quae in visitantem angli-
cam classim sunt celebrata: iamque Tagi regalis
fluminis oras germanica tenent navigia, con-
generes Anglos in Lusitano portu salutatura:
hoc post Samoenses recentissimas discordias
pacis pignus Anglo-Saxones reconciliat.

At Vallensis interea regalis foemina Berberiae
litora tenet, illamque salutatum Gallus praeses
adit, quo initio nuper de Africa foederis magis
concordia convaleat.

Sed et cui alii occurrimus ex regibus cir-
cumeunt?

Hinc Georgio e graeca domo Cretam insu-
lam lustranti, qui Matium urbem, Turcis simul
Christianisque ovantibus, visitat; quodsi ad sep-
temtrionem cursus vertamus, Victoriae Anglorum
reginae, quae aedem in qua nata est apud Ken-
sington, octogesimum aetatis annum attingens,
postremo lustratam, reipublicae dono elargitur.



Plaudite, lectores, ex toto animo, nec fragor
repentinusque quem audistis strepitus ullimode
vos conturbet: puto enim mehercle iam vos in-
trepidos meorum itinerum consuetudine factos.

Clorati opificium est quod in provincia Lan-
cashire prosiluit, cuius si damna quot fuerint
quaeritatis, ad vices centena millia supputari
scitote.



At ex Lutetii insolita magis nuntiantur. Ade-
mus; et proh miserandum! bibliothecam ardere
videmus aedesque prope omnes, quae commer-
ciorum negotiis sedes sunt: serica exemplaria
omnia patientissime hucusque inibi collecta
ignis absumpsi.



Sed nunc vereor ne quis vestrum dolo exci-
tatas flammis illas suspicetur, ab ipsis forte humi-
mioribus, qui tam pacifco animo kalendas
Maia veluti neglectas habuerunt; praesertim cum
ex Hungaria, ex Helvetia, ex Italia multiplicatae
opificum desertiones audiuntur. Bovislaw enim
quinque millia hominum multitudine clybana ad
panem excoquendum pervasit, supellectilia di-
ripuit; Bernae, fabri murarii plerique adfines sua
quisque aedificia dereliquerunt; Bononiae denique
publici viarum scoparii, ob insoluta sibi adhuc
stipendia, ab opere recesserunt.

Similia Valdoletum in Hiberia conturbant,
at absonae omnino caussae, ob rixam videlicet
inter adolescentem studii vacantem, et militem
quemdam ex equitum schola succensam. Discor-
dia iurgiaque inde populi, militum animos ita
succenderunt, ut vigilum armis eas sedare oportuerit.

Quod et Belgicos magistratus feliciter tan-
dem assequutos fuisse at sine armis sanguinisque
effusione novimus, qui cum fossorum foederata
Societate aequa tandem pactione inita, ut octo
millia opificum iterum in fodinas descenderent
tandem impetravere.



Ecquid tamen si, civilium bellorum causis
extinctis, aëris, aequoris, terrae minae un-
dique impendant?

Ecce namque in Mexicana republica horrida
repente saevit tempestas, quae carboniferam fo-
dinam prope Hondo aedesque eius omnes fun-
ditus pervastat. Inde in Argentina prope Bownio
duarum coloniarum casas sataque universa ter-
raemotus diruit. Trinacriam insulam, in his,
aëris motus vites, quercus, fruges rusticasque
domus pessumdat; dum in oppositis Dalmatiae
litoribus oppida plurima Sinj, Turiache, Kosute,
Trilj, Caputcircis, Vojnic subterraneis fremitibus
intremiscunt.

At quid haec, si iis compares, quibus Bononi-
enses adhuc obstupescunt?

Montis fastigium, in latitudinem mille cir-
citer passus, intimo fremitu divulsum repente
corruit, ac terribili sonitu in subiectam vallem
praecipitat; quo tandem cum requievisset, nitidum
ecce lacum inter disiecta latera micare stu-
pentes monticolae admirati sunt.

Nec satis; supremum enim ex Siamensi regno
acceptum nuncium videtur. Contra Mekong flu-
minis oras insula eminebat ad quingentos usque
lata passus, feraci solo, virentibus silvis et dul-
cibus aquis laeta, eratque in medio oppidum a bar-
baris extrectum, quod centum fere eorum incolebant. At repente, dum fervens adhuc sol medio
caelo micat, intimus abditusque bombus diffun-
dit, contremunt undique fluminis orae, et insula statim, veluti Neptuni tridente percussa,
in fluctus sese demergit atque immenso gurgite
obruicit.

En igitur quomodo, dum appellere cogito,
portus aufugit, meque, medio in mari tanto por-
tentio attonitum, ut assuetam hanc luctuosamque
Odyseam ad proximum numerum perseguar,
derelinquit.

VIATOR.

VARIA

Utilitas chronologiae.

Numquid Sinenses? Numquid Afri? Quid
mea interest undenam ambo? Romam venerant,
et inter Romani Fori ruinas versabantur, modo
attonti et muti dimisis per latera brachii,
modo acriter inter se disceptantes, et gestu im-
modico, lacertis, manibus concitatis, in aëre ne-
scio quid designantes, modo ita cogitabundi et
lento ore pronuntiantes quaedam incondita verba,
ut mihi Manes lugubria sua memorantes vide-
rentur.

Nec a Manibus valde aberant incessu et ad-
spectu! Vir enim crine ruber, hispidis ad men-
tum pilis, tanquam setis, horrebant; fortasse non
integer oculorum, quos viridi vitro lens duplex
auro nexa tegebant; statura procerus, at macer
et exilis, magis quam statuera par esset, dupli-
citer videbatur; optimis autem indutus, et ca-
tenulis, acu, annulis aureis gemmatisque per di-
gitos pectusque scintillans. Mulier, mehercle
coniux tanta digna viro!, nigra in sericis suis cu-
ppressum proceritate aemulabatur, neque cupressu
pinguior, et angulis undequaque exsilientibus per
latera, per humeros, undequaque ubique ossa
essent. Illa (cypria capillo, pileata, pennisque
struthionis albis, nigris, cinereis, rubris in apice
coronata, supercumulata) novum quoddam ostendens,
in morem trabis deambulantis, sudes et
ipsa, a pede ad caput indeclinabilis, nullo car-
nis globo interposito, tota pelli adhaerens os,
tota tabula runcinata apparebat

Propiores facti nobis, qui super eversae col-
lumnae trunko sedebamus, aciores ita inter se
disputare, ut quamplura ad nos verba pervene-

rint. Comes meus inquit anglica illos uti ser-
mocinatione, sed neque compta, neque incolumi
grammatica, et saepe interserere verba, quae nec
Anglicus, nec Moschus, nec Germanus unquam
audivissent.

Evidens autem inter ipsos quaestio cuinam
addicerentur columnae, quae inter Capitolium
et arcum Severi exstant erectae, egregiae por-
ticus reliquiae. Romuli templum homo; Iulii
Caesaris basilicam foemina asserebat. Error
utrisque.

Est hominum Romae genus, qui exteris nostra
invisentibus duces ac declaratores adduntur, inter
quos esse nonnullos rerum antiquarum peritis-
simos, diuturno usu, non dubito; sed plerosque
novi satis ignaros, eosque aeruscatorum numero
libentius et rectius adscribo.

Hos romani vulgi lingua, nativo aceto perfusa,
cicerones vocat, eademi qua solet ironia
asturcones dicere sexcentis bubonibus et petimi-
nibus macilentos equos.

Atqui huiusmodi erat, nesciente me, qui mili
proximus.

Hic igitur, sibi sperans inde quaeustum, ad illos
accessit, et cui templum, cui columnae, cui ar-
cus, cui basilica addicerentur mira verbositate
explicare babelica linguarum commixtione coepit;
audiebam enim occurrentia et recurrentia voca-
bula italicico, gallico, germano, anglico sermone,
mirabiliter invicem collidentia et insequentia,
praeter nonnulla heteroclitia, quae nescio unde
ipse hauriret.

Duo illi mirari primum non advolutum in
sermones suos venisse; mox delectari sermo-
cinante; tum digito monstrante singula intueri,
approbare. Pugna cæcorum!

Peribat dies. Dimissi hominem, aureo (non
mention) dato, nomen abituri quæsiverunt. Ille
Ciceronem se esse dixit.

Obstupuit vir; idem et mulier; et dilatatis
palpebris, arcuatis superciliis, intento ore consi-
derare stantem a facie, ad tergum, a dextero ad
sinistrum latus. Ille stabat.

Tunc vir (extracto liberculo illo ad memo-
riam) scribere stylo, quem lapis vocamus, et,
scribente dextera, solemniter, quae notabat, ore
profari, uxore probante et gratulante.

Haec autem erant huiusmodi:

« Kalendis maiis, Marcus Tullius Cicero, inter
ruinas Romani Fori adveniens explicavit nobis
antiqua. Fama non mentitur. Vir magnus Cicero,
et pluribus utitur linguis! Pulcre, recte, magnus
Cicero! Circa quinquagesimum aetatis satis cor-
pore validus et bona valetudine utens, facile
septuagesimum vitæ videbit annum!.. Redituri,
si vixerit adhuc, queremus. Dicta eius non avari
aureo rependimus. Bonus accepit».

Abierunt igitur, proculdubio nuntiaturi Cice-
ronem vivere, et se cum eo colloquitos, et intra
vicennium fortasse moritum!



Loci.

Medici et mors.

Aesculapius, Hippocrates Cous, Galenus ca-
stra munierant adversus Mortem, medicinae effi-
caciissimae dantes operam. Territa Mors, cum
videret saeculares stare viros, pactum proposuit,
ne regnum penitus in hominibus perderet. Pa-
ctum placuit, et conciliata pax est. In soedere
autem cautum erat his verbis: « Generis humani
dimidium sub imperio Mortis esto; dimidium
sub præceptis Medicorum ». Et ex hinc grande
solatium viventibus; non enim omnes auferet
Mors, sed plerosque Medici. (Ex antiq. fabul libro).

P. d. V.

T. G. FRATRUM PARISI Candelarum ad Sacra Opificium praemiis insigne

AB ANNO 1829 CONSTITUTUM



* ROMAE in ITALIA *



In Foro Campi Martii, 6



Singulis in artium recognitionibus publice habitis
maxima relata munera

Leo PP. XIII honores addidit

Lateranensi Archibasilicae, itemque Vaticanae, quoties de Beatificatione aut de Canonizatione
solemne sit, suppeditat.



Praecipua Tempia cereis instruit ubique ter-
rarum. In Asiam, Africam et urbem Constantino-
polim mittit ingentia rerum huiusmodi pondera,
pretio *francs* 180 pro singulis 100 Chilogramm.

Si vero ab America aut ab Australia petantur
onera (300 Chilogramm. *ad minimum*), pretium erit
francs 200 pro 100 Chilogramm.



Nullo impendio iubentium res in proximiorem a patentibus designatum portum defertur.

Gratuito pariter, quae mittuntur, arca asservantur.

Cuvis quaerenti explicatio erit uberior.



FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE

COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO
Veneunt apud comm. VOX URBIS Administrationem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 × 0.24)

qui ad socios commentarii VOX URBIS dono datur,
venit singillatim L. 2.50

apud comm. VOX URBIS Administrationem.

SI QVIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

PHILIPPUS VITI EQUES MARMORARIUS

ROMAE — Via Alessandrina, N. 51 e 52 — ROMAE

AFFABRE SCULPIT QUAE SUNT
AD SIMULACRA, ALTARIA, SACELLA
AEDICULAS

uti patet ex operibus erectis ac refectis
in Basilica Lateranensi,
Liberiana, Laurentiana extra muros, Transtiberina,
Eudoxiana, etc.

Desclée, Lefebvre & Soc.

LIBRERIA CATTOLICA INTERNAZIONALE

ROMAE - VIA S. Chiara, 20-21 - ROMAE

COMMENTO DELLA DIVINA COMMEDIA per il prof. G. Po-
letto. — Tria vol-
mina in-8 magn. ex nitidissimis typis, quos in singulis paginis lineae rubri
coloris conquadrand. Accedunt cromolytographiae illae tabulae pul-
cherrimae, quas clarissimus Dux Sulmonensis effinxit. — Soluta veneunt
Lib. 30; tela aut membrana religata Lib. 38.

LE LAUDI LATINE E IL CANTICO DEL SOLE DI SAN FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier viro
rei longe peritissimo conscriptam, continentur *laudes latine* cum inter-
pretatione italica, *Canticum Solis*, necnon illa *Speculi perfectionis* capita,
quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem
proxime alii subsequentur ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* compa-
randam, *Iulius Salvadori*, litteris tradendis doctor egregius, maxima
edit cura. Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administrationem venit
L. 0.50, in pauperum levamen.

Ciapponi Franciscus et Soc.

OFFICINA
ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS
PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

TEMPERANTIA IN PRETIO - DILIGENTIA IN OPERE

ROMAE - Via Sistina, 129 - ROMAE

MINERVA

RECENSIONUM RECENSIO

Moderatore FRIDERICO GARLANDA

ROMAE - VIA DEL CORSO, 219 - ROMAE

Singulis Dominieis diebus prodit, scripta maximi
momenti, quae, sive in praecipuis commentariis, sive in libris
vulgantur, strictim referens.